12.
~~24.~~

Jehovâ Trinuno Favente,

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA

De

SCORBUTO,

Quam

Decreto & authoritate Perillustris, & Gratiosissimæ Facultatis Medicæ,

SUB PRÆSIDIO

Viri Amplissimi, Excellentissimi, atq; Experientissimi

GODOFREDI MOEBII,

Medicinæ Doctoris, & in Inclyta Salana Professoris Publici celeberrimi, Domini & Fautoris honorandi,

PRO LICENTIA

Summos in arte Medica honores, privilegia, ac insignia DOCTORALIA consequendi,


Publico examini submittit

JACOBUS HABERSTRO, PEGAVIENSIS Misnicus, Wernigerodensium Medicus Ordinarius,

ad diem Augusti

In auditorio majori, horis consvetis.

JENÆ Ecalcographeo BLASI LOBENSTEINS,
Anno cIↃ IↃc XLIV.



VIRO
PL. REVERENDO, AMPLISSIMO, CLARISSIMO

DOMINO M. JOHANNI FORTUMANNO, P. L. ad ædem D. Gregorii & Sylvestri apud Wernigerodenses Pastori Primario vigilantissimo, totius Ministerii comitatus Wernigerodani Seniori, & Inspectori gravissimo, Avo suo materno, Domino, & Mœcenati colendo,

in honoris & filialis observantiæ monumentum

disputationem hanc inauguralem offert

Jacobus Haberstoh.



Σὺν Θεῷ.



Mnia, quæcunq; in hac rerum universitate contingunt, si contemplemur, certè ubi Natura maximè familiaris, maximè quoque venit admiranda. Videmus hoc in morbis; qui quò sunt vulgatiores, & communiores, eò majori obscuritate anxios nos reddere, eoque magis in stuporem rapere solent. Imprimis adparet idipsum in *Scorbuto* affectu in regionibus septentrionalibus tàm decantato, tàm familiari, ut raro morbus iis in locis infestet, qui non *Scorbutum* sibi habeat conjunctum. Hic autem licèt valde sit frequens, æquè tamen omnibus notus non est; sed sæpè oculatissimos Medicos, etiam cum cavisse summoperê visi sunt, decipiat. Tot enim & tam varia in eo oculis obversantia symptomata, in diversa trahunt medicos, statuuntq; in ancipiti, ut is revera verus sit censendus Medicus, omneque punctum ferat, qui ingressus ad scorbuticum animo nõ turbetur, fallacique specie, quá alii finguntur morbi, eludatur: quandoquidem non raro dubium sit, Medicosne ludificare, an ægrotum divexare magis, consultò, aut quâdam quasi destinatione hic affectus laboret, quemadmodum *Eugalenus in præfatione* dicit. Imò ex hujus ignorantia fit, ut plerique morbi, & præsertim febres quædam apud nos adeò sint diuturnæ, nec ullis Medicorum medicamentis expugnari queant, & sæpè ad unum, duos aut plures perseverent annos, nec nisi cum temporis mutatione in robustis desinant, vel in alium, & deteriorem morbum aliquando commutentur, iisque non raro debiliores succumbant: *Eugalenus* pag. 379. Et hinc doctiores, quæ sit ejus natura, maximè dissentiunt: ita ut quò quis in investigandâ ejus indole plures in consilium adhibeat autores, eò ferè incertior reddatur. *Scorbuti* igitur ge-

nium perscrutaturus, rem difficilẽ, quidẽ & obscuram aggreditur; facilè tamen si quâ in re à vero aberrat, apud viros doctos meretur veniã. In luce enim, inquit *Scaliger*, tenui rerum caligamus, in mediocri cœcutimus, in majore cœc[illegible]mus, in maxima insanimus. Difficultatem tamen hanc non nihil sublevat, insignis usus & jucunditas, quam Medicus animo sciendi cupido præditus, inque septentrionalibus locis praxin exercens ex accuratiore ποικιλομόρφȣ hujus affectus cognitione consequitur. Videmus certè quam mirè se Autores interdum torqueant, si fortè symptoma malo huic conjunctum, vel ab eo progenitum ipsis offeratur. Manifesta hæc erunt perlustranti *Cratonis* consilia; unicum ut saltem in medium afferam, *Capivaccium consil.* 26. audiamus, qui causas indagaturus, quare ægroti interdum sese erigentes suffocationis periculum maximamque anhelitus difficultatem incurrant; in lecto verò jacentes melius sese habeant? nescio, ꝙ novum diaphragmatis tuberculũ, cujus tamẽ nulla aderãt indicia fingit: quũ si scorbutũ cognovisset, rationes alias, & quidẽ satis manifestas habuisset in promtu. Attendatur etiam quantũ se dilacerent, *Mercurialis*, *Mercatus*, & alii de febribus syncopalibus verba facientes, quas tamen febres scorbuticas esse omnia evincunt, quæ de causis ipsarum proferuntur. Quemadmodum verò hi ignorantiæ culpâ hallucinantur: ita quoque non laudandi sunt illi, qui nil nisi scorbutum crepant, omniaque quæ in morbis obseruntur, ad eundem referre non erubescunt. Idcirco quò exactiùs discerem, quantum huic sit tribuendum, placuit de eo, jam cum Dnn. Præceptoribus & amicis conferre, glaciemq; hanc secare, & fungi vice cotis, acutum reddere, quæ ferrum valet, exsors ipsa secandi.

Verùm quid dicam miserum me agere, & quam ducere vitam
Irrequietum animi, & quærentem indagine vana
Naturam semper fugientem: quæ se ubi paulum
Ostendit mihi, mox facies in mille repentè
Ceu Proteus, conversa sequentem eludit, & angit.

Mœ-

Mœrentem vanasque horas cassumque laborem?
Incipiam tamen.

D[illegible] hosce meos conatûs clementer juvet, & faxit, ut feliciter v[illegible]xpandam, secundisque subvectus ventis ad tranquillum portum iterum perveniam.

THESIS I.

QUamvis à plurimis *Scorbutus* pro novo venditetur morbo, veteres tamen haud penitus latuisse videtur, ut patet ex *Hippocrate, qui lib. de morb. internis 2. prædiction. 2. prognost. magnorum lienũ* ileiq; hęmatitis nomine eundem exprimit: quibus lienes magni, inquit, iis gingivæ vitiantur, & os grave olet. Quibus autem lienes magni sunt, neq; sangvinis eruptiones contingunt, neque os graveolet, in tibiis ii mala ulcera habent, & nigras cicatrices. Ileos autem vocabulum idem denotare, liquet ex eo, quòd nonnunquam ab *Hippocrate & Galeno 3. Epidem. com. 2. t. 6.* Item 3. *aphor. 22. Et de symptomatum diff. c. 4.* de doloribus hypochondriorum & torminibus dicatur. Nec malè *αἱματίτης* voce salutatur, quum non tantùm vomitu, sed & per alvum, tussim, nares, crura, & alias partes magna copia sangvinem effundant Scorbutici. Non longè etiam à Scorbuto videtur abesse morbus, quem *Galenus 2. περὶ φύσεως ἀνθρώπων.* definit: Qui in *Oeno* inquit urgẽte fame vescebantur leguminibus, cruribus vacillabant: qui vero erva comedebant, horum genua dolor infestabat: Non incõmodè huc referre possumus, quæ habent *Cœlius Siccensis lib. 3. chron. cor. c. 4. & Æsculapius cap. 4. habent: ut & Aëtius tit. 3. sen. 3. cap. 7. Ægineta lib. 3. cap. 49. Aresæus l. 1. ob causis & signis chronicor. cap. 14. Celsus lib. 2. cap. 7. Plinius, qui cum l. 25. histor. natural. c. 3. Stomacacen. & Scelo tyrben* vocat: *Macellus l. de medic. c. 11.* ubi *Oscedinis* nomine indigitat: *Strabo, qui lib. 16. Geograph. πάθος περὶ τὸ σῶμα* appellat. *Avicenna lib. 3. fen. 15. tr. 7. cap. 5.* Ubi enim eædem causæ, ibi & iidem sunt effectus: at nunquam defuere quibusdam terris aut hominibus causæ scorbutum excitantes, neq; deesse potuerunt. E. Neque quempiam nominum varietas turba-

re debet: quemadmodum enim pilum lupus, non mentem mutat; sic morbi sæpè nomen, non personam: quæ tamen & ipsa ita sæpenumero & multifariam fucatur, ut nova videri queat.

2. Non solùm enim apud antiquos variis & diversis nominibus dotatus est *Scorbutus*; sed & apud recentiores, quorum alia ipsi quadrant morbo, alia, & quidem multò plura, solis ipsius symptomatibus: Nomen totius morbi est *Gingipedium*: quæ Nomenclatura *Regneto Snoy Medico celebri* tribuitur à *Blienbarchio in epistolâ ad Echtium* scriptâ: à gingivis nimirùm & pedibus corrupto sangvine infestis: Et hoc nomen, cum signa hujus morbi propria omnium optimè repræsentet, ambabus ulnis excipiendum censet *David Crusius theatr. hermet. l. 2. cap. 4.* *Forestus* autem cum non pedes solum, sed & brachia infici observatum fuerit, etiam *Gingibrachium*, πηχυτύρβην appellari posse existimat. Symptomatum est communis illa vox *Scorbuti*, quæ ex vernaculis vocibus *Danica*, & *Belgica* Schorbuck & Schorbeck deflexa videtur: quorum illud lancinantia ventris alvini vermina, hoc disruptam, ulceratamque buccam designat: quod utrumque hodierno die in usu est: ut *Salom. Albert. disp. 2. de scorb. th. 1.* innuit: *Belgarum* dialecto audit Schormund: quando inficiuntur gingivæ: & Schorbein/ quando in cruribus morbi appareat: q.d. ruptas tibias. Iisdem & Blauschuyt dicitur, à blavis, seu glastinis, puniceisque maculis. *Olaus Magnus l. 15. cap. 51. & lib. 9. cap. 38.* putat eum posse nominari *Cachexiam*. Quemadmodum & *Barbari* ad imitationem *Plinii* indigitant *stomacaxiam* q. τὸ στόμαχος κακεξίαν. Aliis appellatur *Saucius & ulcerosus venter*, ut vult *Eugalenus pag. 2.*

3. DEFINITUR quod sit *Dispositio prava & occulta toti corpori, præcipuè tamen visceribus nutritioni dicatis impressa, à sale fixo quidē & in ventriculo minus attenuato, majori etiam copia quam par est, assumto, peculiariter tamen & specificè corrupto orta: quod reliquo sangvini permistum, cum eodem hinc inde per corpus defertur, & prout ad hanc vel illam partem propellitur, proq; varia corporum, & humorum reliquorum constitutio-*

tione modò hoc modò aliud symptoma & morbum excitat.

4. Primò venit considerandum *Genus*, quod in accidentibus Formæ locum obtinet. Etsi verò varia & diversa morborum genera in scorbuto appareant, ut inde non immeritò dubitari possit, an ad unum morbi genus reducendus? tamen quia illa sæpè & citra eum conspiciuntur, ejus natura non in tot differentibus specie morbis, & symptomatibus, sed in peculiari aliquo genere constituenda est: quemadmodum idem etiam in Peste, & Lue Gallica videre licet.

5. Quodnam autem illud ipsum sit, maximæ comparent dissensiones: dum alii, ut Ronsæus, scorbutum referunt ad morbos ex magnitudine & intumescentiá ortos: Alii ad Ictericiam nigram: alii aliud quoddam ponunt. Verùm hi animum veritatis avidum non explent: cum hæc non semper in scorbuto conspiciantur. Itaque cum *Hippocrate* ad τὸ θεῖον confugere cogimur: dicimusque esse *pravam & occultam dispositionem, seu qualitatem, quæ propriam, sibi peculiarem, & ab aliorum morborum malitiâ specie & forma discrepantem malignitatem acquisivit*: sive ut *Platerus* loquitur, *Privatum quoddam venenum*: vel, ut *Steeghius*: *lentum quoddam virus.*

6. Redarguitur quidem à multis hæc opinio, qui qualitatum occultarum defensores posse reprehendi putant ex *Galeno* 3. *de præsag. pulś. c. 5.* quod docendo nihil doceant: Verùm quocunque nos vertamus, occulti aliquid subesse, fatendum est. Si enim, quod video velle quosdam, humidus tantum cum pauco sicco conjunctus est humor ille scorbuticus; solisque qualitatibus primis conscribitur; dicatur, cur scorbuti symptomata antiquorum illis remediis ab omnibus probatis non tamen curentur, sed solis antiscorbuticis? Cur itidem illa ipsa symptomata Scorbuto & Lui Gallicæ, pestiq; communia diversam curationem requirant? tàm in multis enim hi morbi conveniunt, ut discernere nequeamus, à quo humore proveniant, nisi artificiosá conjecturâ. Et certè si nihil aliud est humor scorbuticus, quam humidum cum terreo sicco conjunctum: quid differt ab urinâ & sero? hæc autem semper in corpore præstò sunt: quî fit igitur, quod non

ubi-

ubique & in omnibus hominibus ſymptomata ſcorbutica occurrant? Cur etiam in hiſce regionibus tantùm familiaris adeò ſcorbutus eſt, cum tamen talis humor ſiccus & humidus etiam in aliarum regionum incolis colligatur?

7. Dum quoque *diſpoſitionem* eſſe dicimus, ſeparamus nos ab iis, qui cauſſam ſolùm morbi eſſe volunt ſcorbutum, quæ omnia morborum genera excitare potis ſit, ex intemperie, inſtrumentarios, & ex ſoluta unitate: Eô quod ſcorbutus omnium eorum formam induat, & antiſcorbutica tantum ad profligandam cauſſam adhibeantur. Licet enim in Scorbuto alii morbi adſint, præter illos tamen alia maligna διάθεσις à cauſa ſcorbutica in corpus inducitur, quæ omnium eorum primaria, veraque cauſſa eſt. Fieri nimirum nequit, quin vitioſo humore in animalis corpore genito, paulatim tractu temporis principalium partium aliqua afficiatur. Cauſſa etiam alterans non ſentitur in corpore, niſi qualitates ſuas eidem imprimat. Quapropter antiſcorbutica exhibentur non tantùm, ut materiam ſcorbuticam expellant, ſed & ut malignam & ſpecificè corruptam qualitatem corpori impreſſam expugnent.

8. Quomodo verò generetur diſpoſitio hæc ſcorbutica, hîc aqua hæret, cum vix unum inter doctos cum altero conſentire hâc de re videas: Præ cæteris veritati approximāt, qui generari eandem ſtatuunt, quando id, quod in cibo, & potu ſalſum eſt, ob multitudinem non concoquitur, nec etiā per anum rejicitur; ſed in venas protruditur, ibique noxam infert; cum amarum, ſalſum, acidum vim gerant corporis noſtri perturbatricem, præſertim ſi abundent: ideoque nihil æquè Scorbutum inducere, quam alimenta plurimo ſale referta: hinc poſtea fieri, ut frequenti ſalſorum uſu intereanea ſicceſcant, indurentur, adeoq; obturentur meatus venarum, ac obſtruantur: imō etiam juſto majorem calorem concipiant, cum ſal etiam calefaciat: venis verò obturatis, & calefactis interaneis difficillimè primò quicquid humidi adſumitur, in veſicam abire aut alvum, ſed in primâ corporis regione, præ calore, ac ſiccitate vaſorum ſubſiſtere, & paulatim re-

restagnare: Constipatis verò & calefactis meatibus humores colligi paulatim, & confluere posse: huncque unum esse seri scorbutici colligendi modum, à quo scorbutica Cachexia [illegible]atur: Et sic humores scorbuticos corpori insinuari put[illegible] aliunde & forinsecus. Cum verò interdum in optimâ victus ratione à menstruis, & hæmorrhoidibus suppressis advenisse scorbutum deprehensum sit, imò ardentes febres, quartanas, tertianas sine ullâ culpâ externâ in hunc desiisse: ex colliquatione carnis & humorum ob calorem immodicum fieri non posse dicunt, quin solutis hoc modo partibus concretis præter alia serum etiam acre redundet: & si colliquamenta talia acria non expurgentur, sed in corpore maneant, & contineantur, maximè si in ventrem inferiorem diffundantur, Scorbuticam cachexiam oriri arbitrantur: simile etiam fieri, si aliàs putridi humores colligantur in prima corporis regione: quando nim. nec per hæmorrhoidas, nec per uterum horum fit expurgatio.

9. Sanè pererudité hæc sunt excogitata: Excessum enim salis in humoribus scorbuticis plerunque adesse omnia docent. Animadvertatur saltem, quod *Doringius l. 1. de medicina & medico pag. 109.* refert, observâsse se in quodam scorbutico hæmorrhagiâ narium per intervalla laborante, quod linteamina, quibus sangvis excipiebatur, ab eo ipso corrosa fuerint. Non omnium tamen, quæ circa scorbutum contingunt, solida exinde dari potest ratio. Ideo quædam circa hanc sententiam desidero. 1. Non semper obstructio fit in meatibus, nec interanea semper exsiccantur. Si enim interanea semper eo, quo volunt, modo ob sal arescerent, calefierentque; calor ille sentiretur: quod tamen non semper fit: quemadmodum aliàs in affectu Hypochondriaco talis circa hypochondria sentitur calor: neq; etiam semper alvus supprimitur, neque urina neque semper puto. Neq; sal hoc subsistere in primis viis, quamvis plerunque hoc fiat: sed nihil impedit, quo minus statim cum reliquo sangvine per venas in totum corpus feratur, ibique corruptionem hanc induat. 2. Si præter hunc generationis modum non peculiare

quid concurreret, sequeretur tales febres colliquativas semper in scorbutum desinere oportere: quod non est, sed sæpè in hydropem, sæpè in quartanos, sæpè in alios mutantur morbos! 3. Nullam etiam exinde dare poterunt rationem, cur non semper hæmorrhoidas, & menses suppressos sequatur scorbutus. 4. Cur etiam symptomata & morbi scorbutici in multis differant à morbis antiquorum? Si enim omnis acrimonia à sale, ut *Chimici* probant; negari nequit, arthritidem antiquorum à salsis humoribus excitari. Quî fit autem, quòd ab arthritide scorbuticâ differat? 5. Quòd contagione producatur scorbutus, cum tamen alii morbi tartarei & salini, ut hydrops, arthritis, calculus eadem destituantur? Jam verò contagium peculiaris corruptionis argumentum est. 6. Ubi humor iste visceri alicui similem sibi impressit dispositionem, vix unquam perfectè huic malo medebitur quisquam: quod indicium est longè fortioris impressionis visceribus communicatæ, quàm quæ qualitatibus primis ascribi possit; & fortè non dissimilis ei malignitati, quam venena corporibus imprimunt, quorum impressiones tam fortes sunt, ut dispositiones, & imbecillitates corpori humano ab iis relictæ toto vitæ spacio deleri nequeant.

10. Idcirco licet concedamus, sal fixum in cibis si copiosius misceatur cum sangvine caussam esse remotam scorbuti: ut tamen caussa proxima fiat, necesse est, ut sal idipsum in corpore peculiari modo corrumpatur: dicimusque cum *Sennerto de scorb. cap. 3. in fine*: Dispositionem hanc oriri, cum ventriculus ob vivendi rationem incommodam cibos non benè concoquit, sed una cum laudabili chylo multos tartareos seu salinos vapores in venas gastricas defert, ubi seu sangvini, seu sero soli commiscetur, & cum sit *ἀνεπιτήδιον, ἄκρητον, καὶ ἰσχυρὸν*, ut *Hipp.* nominat, à natura superari, & in bonum sangvinem mutari non potest; sed vel morbos tartareos & salinos generat: vel in partem aliquam rejicitur, ibiq; calculos procreat: vel denique in hypochondriis subsistit, & variis hypochondriacis affectibus caussam præbet, usq; dum tandem pravam, contagiosam, & scorbuto specificam dispo-

ſtionem acquirat. Eodem modo ſi poſt hæmorrhoidas, aut menſes ſuppreſſos humores ſubſiſtant: ſi etiam in febribus diſcuſſis partibus humorum tenuibus, ſal & tartarum relinquatur, facilè fieri poteſt, ut ſal ſpecificè ita corrumpatur, & ſcorbutum inducat. Quod ſi hoc modo ſal corruptum eſt, veneni naturam induit, & in minimâ quantitate magnas vires exercet. Unde ſi poſtea per contagium alteri corpori comunicatur, ſangvinem licet copioſo ſale deſtitutum corrumpere poteſt. Hinc fit, ut etiamſi corpora quædam victu ſalino non utantur, ſi tamen infecta ſint à ſcorbutico, eadem ſymptomata poſtea patiantur. Et interdum in quorundam ſcorbuticorum ſaliva, & humoribus nulla nota eſt acrimoniæ, & ſalis.

11. Ignaviæ quidem notam non effugiemus apud quosdam, qui in cauſſarum, quæ intellectui noſtro per veſtigabiles ſunt, inquiſitione nos deficere incuſabunt. Verùm enimvero reſpondebimus ipſis, etiam temerarii eſſe, rerum abditiſſimarum arcana perſcrutari: & in naturam injurii pro veris occultis falſas manifeſtas reponere velle: ſatiusque eſt, in re obſcurâ, ubi nulla vera ex manifeſtis qualitatibus cauſſa reddi poteſt, ad occultas qualitates, quæ revera dantur, atque effectibus ſeſe produnt, confugere, quam falſi aliquid asſerere, atque effectus alicujus falſam, & effictam cauſſam defendere: Verba ſunt *Sennerti inſtit. med. l.5. part. 1. ſect. 1. cap. 11. pag. 950.*

12. Ex quo ſatis patet, partem affectam, & πρῶτον δεκτικὸν non eſſe unum, neque primum ſolum. Cor partem quidem affectam nemo negabit, qui pulſuum inæqualitates, & langvores, tum virium lapſus, potiſſimum etiam primo morbi inſultu maximos cognoſcit. Verùm non modò naturalis actio (quam à vitali non diſtingvimus cum *Hofmanno lib. 1. de loc. affect. cap. 26.* cum non tam in hepate, quam corde fiat ſangvificatio) in ſcorbuto ſummoperè labefactatur, ſed & animalis: quemadmodum id teſtantur atrociſſima animalis facultatis ſymptomata, ſpaſmus, coma, deliriũ &c. Ventriculus tamen, partesque imi ventris per eſculenta &

potulenta, accedente quadam malignitate, primò affectæ multis rationibus deprehenduntur.

13. Dicimus itaque *subjectum* scorbuti duplex esse: vel enim est locus, in quo generatur colluvies hæc; vel sed[illegible], in quâ generata continetur. *Subjectum originis* sunt ventriculus, & vasa imi ventris: In his aliquandiu latere potest & subsistere scorbutica illa dispositio, & omne alimentum affluens, sangvinemque corrumpere, atque vitiosa suâ qualitate inficere. Et licet interdum per contagium propagetur scorbutus, ea tamen hujus *μιάσματος* est natura, ut statim ad ventriculum & imum ventrem transeat, temperamentum & tonum ejus alteratura omneq;, quicquid ingeritur, inquinatura.

14. Non valet autem, quòd quidam dicunt ventriculum non affici semper, eò quod appetitus in multis satis sit validus: Salina enim & acida irritant ventriculum, & appetitum excitant: sicut experientiâ constat, plerunque in iis, qui multo salso & acri humore scatent, appetitum vigere. Licèt igitur ventriculi constitutio læsa sit, actionesque reliquæ vel abolitæ, vel depravatæ, vigere tamen fames potest. Nam quamvis appetitus prostratus signum sit ventriculi læsi; integer tamen non statim indicat ejus incolumitatem: quum coctio quidem fieri possit, ob fermentum verò à sale specificè corrupto inquinatum non eo, quo debebat modo, perficiatur. Innuit hoc cum *Sennerto de scorb. cap. 5. Balthasar Brunner tract. 1. de scorbut.* dum proferunt, appetitum modò dejici, modò salvum esse in hoc morbo, pro diversâ humorum ad ventriculum protrusorum conditione.

15. Sicut & hoc non probat, Lienem & Hepar quandoque in scorbuticis non inquinata fuisse, quod in dissectione cadaverum quoad calorem & substantiam illæsa apparuerint. Cum enim scorbutica dispositio sit occulta, possunt etiam talia viscera corrumpi, quamvis corruptio ad sensum non appareat. Videmus hoc in aliis morbis occultis, immò etiam in Cholerâ & Ileo, ubi in dissectis cadaveribus interdum viscera hæc planè salva reperiuntur: cum tamen isti affectus ab humoribus in toto corpore corruptis, & ad ventri-

tri-

triculum vel intestina protrusis oriri videantur.

16. Si verò sal hoc specificè corruptum, & in vasis hypochondrii delitescens, vel naturæ ductu, vel ex causâ aliquâ externâ moveatur; sangvinis alluvione per venas & arterias toti corpori communicatur. Unde postmodum *Locus, in quo vitiosorum humorum colluvies restagnat, fiunt venæ & arteriæ:* & quandiu sal hoc scorbuticum exactè sangvini commistum intra vasa continetur, & circulatur, nullum affert conspicuum corpori incommodum: si verò extra arterias in substantiam partis cujusdam protrudatur, eique vitiosam suâ qualitatem communicet, tunc varia illa symptomata pro diversitate nimirum humorum excitat. Et humores hi scorbutici plerunque sunt tenues; quia sal scorbuticum in sero residet, unde fit, quod continuo sangvinis motu facilè rursus in venas propelli queunt: atque hanc veram causam esse puto, cur sæpè & plerunque symptomata scorbutica per intervalla impetum faciât, quod si sal scorbuticum in humore quodam crasso, vel contumaci hæreat, qui pulsu arteriarum non facilè movetur, sive quando aliam ob causam humores ex arteriis propulsi in venas refluere non possunt, symptomata scorbutica continua sunt, & diutius durantia magisque ægrotos excruciantia.

17. Hinc demum elucescit, quod porrò in definitione dicitur: *Oriri à sale fixo, & in ventriculo minus attenuato, majori etiam copiâ, quàm par erat, assumto, peculiariter tamen & specificè corrupto.* Cùm enim sal omnibus rebus mistis & alimentis, quæ ab homine assumuntur, insit, ut tertium principium chimicum; omnia etiam sale condiantur fere; nec tamen scorbutus in omnibus generetur; sal scorbuticum peculiares debet habere conditiones. Requiritur igitur 1. Ut sal illud sit fixum, generatum ex deficiente salis, qui cibis inest, & cum iis ingeritur; potusque ac cibi crassioris coctione, ac πνευματώσει: Hæc enim si non fiat, crassus ille & fixus chylus, seu sal in primis viis subsistit, qui licet postmodum ab humore aqueo præterfluente solvatur, & attenuetur, vitium tamen, quod in prima coctione contraxit, non potest elui. Cras-

sitiem autem & fixitatem salis sat abundè ostendunt urinæ crassæ & sabulosæ. Reprehenduntur dicta jam à quibusdam, eò quod alimento salso assumto nihil æquè noceat, quam si attenuetur valdè,& solvatur salsugo: sic enim plurimum talis ipsas subire venas necesse esse, quod aliàs cum cibi recrementis abjiceretur. Verum sine ratione hæc dicuntur: Si enim statim in primâ coctione sal copiosum & tartareum rectè coquitur,rectè etiam separatur; & quod remanet,nullam corpori noxam infert,sed quodã amicitiæ quasi vinculo humoribus unitur, partibusque aptum præbet nutrimentum.

18. Requiritur 2. ut sal illud confertim, & in majori copiâ,quam par erat,assumtum sit: tum enim ita probè concoqui,digeri,& attenuari,neque etiam omne expelli potest; sed crudum, & crassum,unà cum reliquo chylo elevatur, & in venas defertur, ubi cum subsistit, vel etiam sese copiosius admiscetur,facilè potest corrumpi. Semper autem aliquid salis unà cum chylo in venas è ventriculo deduci satis fit manifestum & sangvinis ex viscerum chimicâ resolutione, nec non ipso sero, salsedinem ipso gustu præ se ferente. 3. Sal hoc licet sit fixum, & in toto corpore abundet, non tamen proxima causa sit scorbuti, nisi specificè, & nobis incognito modo corrumpatur. Interdum etiam salinum hoc principium in minimâ copiâ corruptum totam sangvinis massam inficit,scorbutumque generat,sicut fit in iis, qui ex contagio malum hauserunt.

19. Sal hoc corruptum non semper sedem suam habet in humoribus tantùm serosis & tenuibus, quemadmodum multi volunt. Quamvis enim plura probent tenuitatem hujus humoris sc.quod sal in aqua facillimè resolvatur;quod scorbutus sæpè in hydropem terminetur: sudores quoque, salivationes,vesicæ aquâ plenæ,toto corpore prodeuntes: semen aquosum, sangvinis tenuis profluvium ex variis partibus,gingivæ sangvinem facilè fundentes: mobilitas itidem humoris,quique hinc oriuntur,affectuum inconstantia: sanatio denique, cum per urinam, sudorem, & transpirationem scorbutus utplurimum profligetur: ut ita fatendum sit,

sal

sal hoc sæpissimè in seroso & tenui sangvine residere: multa tamen sunt, quæ ostendunt, inquinamentum hoc interdum etiam in crasso delitescere humore: urinæ nim. crassæ; sangvis è venâ sectâ exiens; qui non tantum extra corpus subsistens concrescit, sed in ipso exitu crassus est nigerque: id quod cuivis Medicorum Borealibus in locis Medicinam facienti patet. Etenim quod quidam crassum illud, quod in sangvine scorbuticorum est, non esse humorem scorbuticum volunt; sed crudius quiddam aptum tamen natum, ut in sangvinem convertatur; quodammodo videtur dubium; sæpè enim videmus alleviari ægrotos rejectione hujus sangvinis: scorbutici etiam nonnulli cum urinas reddunt crassas & crasso sedimento conspersas melius se habent, quam cum urinæ tenues sunt: imò hoc quandoque signum est antiscorbutica evincere humorem scorbuticum, si ab eorum usu urinæ eminguntur crassæ. In crasso ergo humore malum illud scorbuticum quandoq; hærere, non omnino est negandum.

20. Rectius insuper dicitur: sal specificè corruptum esse caussam proximam scorbuti, quàm humorem Melancholicum; id quod tamen multis placet, qui volunt eum constare partibus crassis, terrestribus, seu tartareis, & tenuibus. Nituntur enim falsâ hypothesi: nempe lienem attrahere partem sangvinis terrestriorem per portæ ramum splenicum, eumq; concoquere: necesse verò esse, cum crassior sit hic sangvis, dilutum esse multo sero, & aquá. Etenim non reperiri excrementum naturale melancholicum in corpore; neque lienem attrahere posse ex porta partem crassiorem sangvinis, *Conringius in tract. de sang. generat. p. 71. & seq.* evidenter probat. Quibus cadentibus, concidunt etiam omnia, quæ de humore melancholico vulgo dicuntur. Taceo quam inconstantes sint Autores in describendis qualitatibus humoris melancholici: dum alii dicunt esse salsum, tartareum: alii acidum, acerbum: imò omnem ferè sangvinis corruptionem indigitant nomine humoris melancholici.

21. Sequitur etiam hinc, falsum esse, quod illi ipsi proferunt, Lienem esse subjectum dispositionis scorbuticæ: Sive

enim

enim dicatur, lienem crassiorem chylum ad se trahere ex venâ portæ, & concoquere: sive sangvinem tenuiorem & puriorem præparare: sive, chylum potulentum ex ventriculo statim ad lienem tendere, ibique concoqui: nihil tamen eorum potest solidè demonstrari: nec ullo argumento evinci, symptomata, quæ vulgo magnis lienibus attribuuntur, vitio lienis provenire. Quin potius dico, lienem in statu naturali non concoquendi gratia conditum, sed & ut arterias, venasque fulciat: & si quid præterea, ut ad concoctionem cibi faciat, ventriculumque calefaciat. Ut concludamus, constanter assero, non peculiarem aliquem humorem assignandum esse scorbutico inquinamento, sed quemadmodum Pestis, & Lues Gallica omnis generis humores inficere possunt, sic & universi à scorbuticâ malignitate contaminari: præsertim si per contagium disseminetur: Dispositionem tamen hanc nasci ex sale in corpore occulto modo corrupto: quamvis salsa qualitas non semper per acrimoniam sese prodat: cum sæpè salivationes, & sangvis gingivarum in scorbuticis planè sint insipida.

22. Et tantum de caussa scorbuti proximâ: ad quam nunc remotæ omnes reducendæ. Sunt autem hæ vel *Generantes*, vel *Foventes*, vel *Propagantes*, ut *Contagium*.

23. *Generantes* sunt omnia, quæ copiosum & crassum sal continent: inter quæ primas tenet *victus ratio*; quæ si fuerit salsa, magnā sanè ad scorbuti generationem vim obtinet cū illæsis & optimè constitutis visceribus ex alimentis ejusmodi in venis colligi ea salsedinis copia possit, quæ scorbuticam cachexiam inducat *Conring. disp. de scorb. th. 42.* Imprimis huc faciunt caro salsugine, muria, ac aceto macerata, & fumo siccata, indurataque: ut & pisces maritimi, ac palustres hoc modo præparati: Hujus generis victu cum *Saxones* nostri maximè delectentur, non mirum est, talem exinde provenire effectum. Meritò enim conqueri possumus cum *Seneca ep. 39.* Inter caussas malorum nostrorum est, quod vivimus ad exempla, nec ratione componimur, sed consvetudine adducimur; quod si pauci faciunt, nolumus imitari: quum plures

fa-

facere cœperunt, quasi honestius sit, frequentes sequimur, & recti apud nos locum tenet error multorum. Et sic mos infumandi, & salsedine nimiâ corrumpendi cibos adeo apud nos obtinuit, ut qui non imitetur, pro prodigo habeatur. Carnibus hisce sal cum insit fixum, & crassum, (idque non solum internum, sed etiam externum, si nim. vel muria condiantur, aut fumus, omnes earum partes penetraverit) facilè tamen in humido solubile, atque inde exhalabile, & in venas permeabile, si copiosius assumantur, non potest non simul cum bono chylo multum salis in venas deferri, & in corpore ulterius corrumpi. Omni namque alimento, inquit *Fienus lib de flatibus cap. 2.* quantumvis feliciter in ventriculo concocto, genuina perpetuò, insitaque natura mordicùs retinetur: hinc lactuca, aliaque hujusmodi frigida, licet coctione vincantur, superenturque, ventriculum tamen & corpus reliquum refrigerant, ex iisque sangvis profertur frigidior. Quæ cum ita se habeant, cibi sale abundantes nil nisi salsuginosum chylum & sangvinem suppeditabunt. Non tamen omnis cibus sale maceratus incommodus. Cùm enim bubulæ carnes nobis longa consvetudine familiares redditæ sint, si easdem ad dies aliquot modico sale aspergi curaverimus ante decoctionem, & gratioris saporis & facilioris concoctionis, & probioris succi reddentur: Idque de aliis etiam verum. Ast si maceratio modum & tempus excedat, malum. *Ronseus de scorb. c. 11.* Referenda in hunc censum caro venatica, & putida: aves aquaticæ: ut & lardum rancidum, & caseus vetustior: magnam quæ præbent salis copiam, frumentum itidem corruptum, tempore pluviæ collectum, & non ꝓbè asservatũ: panis bis coctus, submucidus, vel ad perennitatem infumatus, nauticus, & præcipuè è frumento corrupto paratus: brassica, cæpæ, lentes, fabæ & legumina alia, præsertim negligentius asservata, & corrupta: item putrida, hæc enim utplurimũ salsa sunt: cum putredine dissolutis partibus seorsim sistatur quicquid latet in quovis corpore, etiam interni salis: nimirum omnia ista cũ sal copiosũ cõtineant, si assumãtur, salinũ producunt sangvinem, & scorbuticæ corruptioni aptum: Et

ut summatim dicamus, omnia huc respiciunt, quæ humorem crassum, siccum, & terrestrem generare possunt, quorum satis prolixum catalogum recenset *Galenus 3. de loc. aff. c. 7.*

24. Cibum excipit *Potus* : & primò quidem aquæ corruptæ, & salsæ, quocunque modo intra corpus bibantur: aquas enim tales vitiosas magnos lienes generare posse testatur ipse *Hippocrates lib. de aëre, aquis & locis.* Aquæ autem quæ reperiuntur in locis, ubi scorbutus regnat, manifestò nitrosæ, aut subsalsæ sunt. Sed & putridæ aquæ guttur non aliter ac salsæ afficiunt: tales verò locis uliginosis aut scaturiũt, aut colliguntur. Palustres quoque cum constent ex pluvialibus præcipuè aquis, & nivibus resolutis, multum salsedinis continent, eò quod pluviæ generentur ex vaporibus è terra exhalantibus, quibus multum salsi terrei inest. *Conring. disp. de scorb. th. 41.* Mirum, quod *Vitruvius* refert: ab aquis nimirum, quæ reperiantur *Trozœni*: pedes noxam sentire; ab iis v. quæ susis scaturiunt, dentes labefactari & excidere, ut habet *Salom. Albertus disp. 2. de scorb. th. 14.* *Vinum* deinde corruptum, quodque in ventriculo nõ probè coquitur, sed acescit, crassum imprimis, & atrum fœculentum, idque non solùm quantum sitis postulabat, sed amystide potum & copiosiùs assumptum: Imò vina aquea, & immatura, plurimoque phlegmate insipido, copiosoque tartaro fœculento prædita. Ex corrupto enim vino, quodque in ventriculo acescit, cum spiritus evanuerint vel figantur, non potest non plurimum salis in ventriculo generari; crassa autem vina per se abundant copioso tartaro. *Cerevisia* item haud probè cocta, & pauco lupulo condita, fœculentaque, fœces enim quid aliud sunt quam pars terrestris frumenti multo sale abundans: quæ si assumantur, non possunt non multum excrementi terrestris & salsi in corpore generare.

25. Cum verò duo sint, quæ potissimum corpora nostra ad morbosas affectiones præparant, *Victus ratio*, & *Regio*: non malè etiam inter has causas recensetur *Aër*. in quibusdam tamen locis tantummodo, ubi nimirum multis est vaporibus salinis juxta mare ab astris elevatis, sed non perco-

ctis

ctis repletus, quem maritimi, & navigantium turba ad se trahunt inspirando, & exspirando: quales enim aquæ sunt, tales & vapores exhalant: & tales vapores vel jam sunt inquinamento scorbutico contaminati, vel ad viscera nutritionis per arterias delati, ibique residentes, dispositionem scorbuticam acquirunt, & postea omnes impuritates eô derivatas homogeneâ quasi salini principii conformitate gaudentes ad se rapiunt, inficiuntque: ut hac de re disserit *Hartmannus in practica Chimiatrica pag. 213.* Aëremque talem multum posse ad scorbutum inducendum probat *Ronseus de magnis lienibus cap. 5.* qui etiam hâc de causâ *Hollandis* maximè infestas esse splenitidas: *Alcmariam* verò *Amstelrodamum*, & loca his vicina inhabitantes, multo periculosius, & frequentius scelotyrbe affici, quam qui *Gaudam & Roterodamum*, hisq; rarius *Dordracenses ep. medicinal. 1.* scribit. Verum hoc tantùm in quibusdam locis accidit: aliàs enim potius ad foventes & adjuvantes caussas refertur *Aër.*

26. Aëris nomine quoque venit *Cœli status*, præsertim Austrinus. Auster enim multum per se etiam inducit aquæ corporibus, colliquat salē fixum, ut si quod lateat sal siccius, liquescere illud faciat, ac difflui. Quin etiam vapotibus salsis præditus eosdē in corpus immittit. Comprehendit enim Auster multum siccæ exhalationis, ut *Aristoteles observavit 2. meteor. cap. 3.* quoniam vel flat à locis calidis & siccis, vel per ea transit, inficiturque. *Conring. disp. de scorb. th. 44.* Et Austrinam talem aëris constitutionem potentem esse ad excitandum scorbutum, duobus probat exemplis *Ronseus de scorb. cap. 5.* Pertinent huc etiam *domicilia humecta & situ obsita, subterranea: frigida itidem & humida murorum exhalatio*, quamvis hæc non tam frigiditate noceant, quam nitrosis, & salsis exhalationibus, quibus austrina tempestate commadescunt. *Conring. l. c.*

27. Et hæc jam annumerata familiam ducunt inter caussas scorbuti generantes: salsa enim præter naturam in corpore coacervant, quæ postmodum peculiari modo corrumpuntur. Subsequentes verò coadjuvantes tantùm caus-

ſæ ſunt, quatenus vel calorem nativum langvidiorem reddunt, & ob id concoctiones, & nutritiones, excrementorumque ſeparationes fiunt deteriores, unde facilè humores dicto modo poſſunt corrumpi: Vel faciunt, ut ſal ſcorbuticum latens effervefcat, & moveatur. Inter quas primò occurrit *Anni tempus:* Etſi enim ſcorbutus quovis anni tempore invadere poſſit, potiſſimum tamen Vere & Autumno acceſſiones ſuas facit: quod *Vere* quidem humores deliteſcentes ex profundo corporis ad exteriora ferantur: *Autumno* autem ſalinæ & tartareæ impuritates ſcorbuti cauſſa cumprimis abundent, reſolutis à calore æſtivo partibus tenuioribus, & benignioribus ſangvinis. Solent tamen veræ acceſſiones mitiores, & breviores eſſe; autumnales longiores, & periculoſiores: *Ronſeus de ſcorb. cap. 6. Salomon Albertus diſp. de ſcorb. theſ.* 138.

28. Huic ſuffragantur, quæcunque præterea ad vitæ ſortem pertinere videntur, ut ſunt *ignavum & ſupinum vitæ genus, & exercitia vel planè intermiſſa, vel parum tempeſtiva.* Vita enim otioſa alvum conſtipat, viſcera indurat: ideoque coacervari neceſſe eſt, quicquid ſcorbuticæ colluviei ſive per alimentum, ſive aliunde apportatum eſt. *Conring. diſp. de ſc. theſ.* 45.

29. *Menſium quoq;, & hæmorrhoidum ſuppreſſio* hîc non omittenda: cum *Eugalenus obſ. 1.* hiſtoriam tradat ſcorbuti ex menſium ſuppreſſione orti. Et ſæpè hæc ſola cum victus ratione ſtrenua ſcorbuti genetrix eſt. Nam cùm per hæmorrhoides naturæ inſtituto humores ſalſi purgari ſoleant, ſi evacuationes iſtæ in iis, quibus conſvetæ ſunt, ſubſiſtant, aut ſi in fœminis ſangvis qui ad uterũ deſcendere debebat, & vitioſi humores, qui cum eo ſolent excerni, retineantur, in hypochondria decumbunt, & ulterius corrupti huic malo materias ſuppeditant, *Sennertus l. 3. prax. part. 5. ſect. 1. cap. 3. pag.* 318. Aliam rationem vid. apud *Conring. diſp. de ſcorb. th. 50.* Item *Somnus & Vigiliæ.* Quomodo autem ſomnus & & vigiliæ nimiæ lædant, ſeu corrumpant ſangvinem: nemo quod ſciam, exactè docuit. Ego ſic dico: Somnus & vigiliæ

ſunt

ſunt affectiones cordis: jam verò, ut infra docetur, ſangvificatio fit in corde: In ſomno autem cor debiliter movetur: unde ſi ſomnus modum excedat, fieri aliter non poteſt, quin ob cordis actionem imminutam cruditates generentur: In vigiliis autem nimiis cum cor ſemper valdè moveatur, tandem ob continuum motum labefactatur: unde ſangvificatio læditur, & cruditates cumulantur.

30. Magnam etiam vim habent ad Cacochymiam ſcorbuticam inducendam *Animi pathemata*. Cum enim ſangvificatio fiat in corde, quod in gemino ventriculo, tanquam in geminâ ollâ coquit ſangvinem à cavá ſubminiſtratum, eumque ad illam perfectionem deducit, quam forma, ſeu temperamentum ſangvinis deſiderat, ut alere poſſit, quemadmodum docet *Hoffmannus lib. de loc. aff. controverſ.* 1. *theſ.* 25. ſive ut *Conringius tract. de gener. ſangvin. pag.* 272. in corde concoquitur, maturaturque ſangvinis cruditas, & alendi, calefaciendique ineptitudo, dum nim. partes quasdam ſangvinis pingviores attenuat, & aquoſum humorem præparat, ut ille facili mox negotio poſſit ſequeſtrari: non minus in thorace, & corde, ac in abdomine vitium capit ſangvis. Læditur autem hæc cordis ſangvificatio læſis tribus principalibus cordis actionibus: Reſpiratione, pulſu, & Affectibus vulgo dictis: & ſicut aqua bis terve calefacta, iterumque refrigerata, & manifeſtè turbida & putida fit: ita in animi affectibus accidit, *Hoffmannus de loc. affect. l.* 1. *c.* 36. hi ſiquidem in corde mutationem à naturali conſtitutione in temperie, pulſu, & reliquis faciunt. *Harveius* de motu cordis cap. 15. Idcirco aliter fieri nequit, quin læſo cordis motu in affectibus, vel perturbato: perturbetur & ſangvificatio, & ſerum & ſal ita præparetur, ut educi poſſit in renibus: quæ cum ſangvine commiſta facilè poſtmodum ulterius corrumpuntur, & ſcorbuti fundamenta jaciunt. Præ cæteris verò cauſſat ſcorbutum *Triſticia*: adeo ut *Eugalenus pag.* 3. & *obſ.* 15. teſtetur, ſe de iis, quos cum craſſiore victus ratione mæſticia exercuerit, ſemper ſcorbuti, vel ſolius vel aliis permiſti morbis generationem liberè prædixiſſe. In triſticia ſc. cordis motus immi-

nuitur, adeò ut *Hoffmannus asserat lib.* 1. *de loc. aff. c.*36. in iis, qui mœroribus diuturnis obruti fuerunt, post mortem cor repertum simile pyro tosto: unde ut dictum actio cordis diminutè perficitur, nec serosi & salsi humores rectè præparantur: Imò cum cordis motu imminuto circulatio non ita apprimè fiat, nec sangvis omniū ferè actionū in homine caussa instrumentalis tum ad ventriculū, tum ad partes promtè mittatur; quid mirum, si in mœrore cordis hoc motu imminuto concoctio in ventriculo & aliis partibus quoque imminuatur: unde *Sennertus de consens. pag.* 234. *cap.* 14. Videmus eos, qui animo læto, & hilari sunt, cibum facilius, & celerius concoquere, cōtra verô cibos ab iis, qui sollicitudine aliqua, timore, aut mœrore detinentur, non rectè coqui, sed corrumpi, atq; ita cruditates & vitiosos humores cumulari, morbosque generari, & augeri.

31. *Febres* itidem non solùm *quartanæ*, sed & *tertianæ diuturnæ* in scorbutum degenerare solent: idque fieri puto à colliquatione humorum: Eadem enim est ratio lactis ab igne coagulati: quod partim in caseosam, partim in serosam abit substantiam: sic colliquatis, & solutis à calore febrili partibus sangvinis concretis, partim in crassam, partim in tenuē, & acrem convertuntur substantiam; quæ postmodum ita separatæ facilè corruptionem scorbuticam induunt. *Conring. disp. de scorb. th.* 48. *& seqq.*

32. Tandem in caussarum harum censu est *Imbecillitas, intemperies, & obstructio partium infimi ventris*: eaque vel nativa vel ex affluxu vitiosorum humorum contracta: quæ cumulandis vitiosis & tartareis humoribus fenestram aperit latissimam. Aliàs expultrice partium se rectè habente, semper cum urinis, & sudoribus in sanis, quicquid incoctibile in venis cum humoribus commistum est, decenter expellitur. *Conring. disp. de scorb th.*42. Non semper autem obstruuntur hepar, & lienis vasa, sed & mesenterium, & pancreas. *Vasorum etiam in hisce visceribus exilitas*, non omni caret culpâ: siquidem salsum, terrenumque humorem ad convenientia emissaria non dimittet.

33. Ultimum caussarum genus est *Contagium:* quo scorbutus æque est infestus ac lues Gallica, fœditate etiam haut inferior: *Joannes Schengkius præf. in obs.* Contagii autem semina variis modis sparguntur. Vel n. in ipso semine paterno dispositiõ talis delitescere potest: cum patrum in natos abeāt cum semine morbi: Vel à matre in sobolem per sangvinem menstruū impurum & inquinatum derivatur; & tum vocatur hic morbus συγγενὴς velut parente satus: Vel à matre, aut nutrice cum lacte instillatur: tumq; dicitur σύντροφος, connutritus, seu collactaneus: Vel alio modo per contactū & conversationem, ut per pocula, oscula, ægrorum exspirationes, halitûs, cadaverum scorbuticorum fœtorem, remque cum scorbuticis habitam cōmunicari potest, ut docet *Sennertus de scorb. c. 4.* tumque δι' ἐπαφῆς, ἢ συναναχρώσιν, per attactum contractus & acquisitus dicitur.

34. Qua ratione v. malum hoc per contagium admißū in universum corpus penetret, nemo melius docuit *Harveio tract. de cord. motu p. 61.* Contagiū, inquit, in particulā quandam impressum una cum revertente sangvine ad cor fertur, & inde vel totum corpus postea inquinat, vel prout determinatis in corpore partibus adversum est, easdē corrumpit. Idipsū fit in scorbuto. Neq; est quod dubitemus, num scorbutus sit contagiosus, nisi experientiam, Medicorumq; observationes impudenter negare velimus. Aliquot enim ejus exempla collegit *Eugalenus obs. 59.* Et *Echtius de scorbuto*, ubi fieri quādoq; ut in totas familias, & monasteria tota serpat, dicit, quod & *Eugalenus d. l.* profert. Caussam cur cognati, & consangvinei facilius scorbuto per contagium inficiantur, quam alii, rejicio cum *Sennerto l. 4. de febr. c. 3.* in analogiam & similitudinē corporis: quemadmodum & in peste, aliisq; morbis ii promtius inficiuntur, qui similem corporis dispositionem cum eo, quod per contagium inficit, habent. Posse etiam sal in corpore ita corrumpi, ut morbos contagiosos efficiat, vel ut μιάσματα ejus sint contagiosa: videmus non solum in scorbuto, sed & in scabie, quæ oritur à salso & acri humore: in phthisi, seu exulceratione pulmonū, quæ itidē non aliunde provenit, quam in salsis & acribus humoribus.

35.

35. Tantum de caussis sufficiat: Ordo nunc postulat, ut *signa* recenseamus: Quemadmodum verò herbas primum propullantes cognoscere nonnisi a tificis, & boni botanici est: postquam adolevere, floresque emiserunt, etiam vulgo notæ sunt: sic primordia hujus morbi dignoscere, peritum, & artificiosum requirit Medicum: cum verò vel gingivæ exulcerantur, vel maculæ in cruribus apparent, quivis scorbutum adesse judicat. Scorbutus nim. instar hostis fraudulenti est, qui semper latibula insidiosè occupat, nunquam se foris proripiens nisi viribus adauctus: sic & ab infensissimo harum regionum inimico in initio quotidiè parantur insidiæ capitales tam absconditæ, ut à speculatoribus sagacissimis vix investigari queant. Latitat videlicet altissimè, & insidiosissimê, nec nisi victoriæ spe affulgente natura omni prostrata impetum facit difficillimum toleratu, & non nisi suppetiis satis firmissimis, insidiisque hostis superioribus coercendum. Cur autem quandoque tam difficilis cognitu sit, caussam esse puto, quod non semper massæ sangvineæ miscetur sal scorbuticum, & ad cor defertur: hoc enim cum læditur, facilè ejus actiones læsæ apparent: sed subsistit in vasis hypochondrii, eorumque lateribus adhærescit, donec tandem ebulliat, & toti sangvini commisceatur. Videmus enim quotidiè in praxi sæpè ingentem saburtam vitiosorum humorum in locis hisce delitescere sine ullo conspicuo signo, quam quod lassitudo adsit, præsertim autem hypochondriacis id accidit.

36. Excubias itaque agere debemus vigilantiores, quo hostis hujus dolosissimi conatus indagare discamus. Signa enim pathognomonica præsertim in initio desunt: incipientis verò morbi signa cum aliis morbis sunt communia; non tamen adeò latitat scorbutus, quin si omnia exactè perpendamus, insidias ejus eludamus. Ante omnia itaque Medicus ad ægrotum vocatus, si quid certi de morbo hoc statuere velit; inquirat, num in regione quadam vixerit, vel vivat, in qua scorbutus dominatur: qua diæta usus sit: An parentes scorbuticos habuerit: an morbo hypochondriaco antea la-

bo-

borant, quem sequi scorbutus solet: an juvaminis percipiat quid ex medicamentorum antiscorbuticorum usu: an cum crassiore victus ratione affectus animi, præsertim mœror, exercuerint: Symptomatum quoque proprietates perpendendæ, dum nim. in scorbuto per certas quasdam periodos recurrunt, & ut observavit *Sennertus l. d. c. 5. n. 1.* & alii, alias tertio, aliàs quarto, nunc quinto & septimo die, aliquos quotidiè pro humoris qualitate & cõditione infestant. Observasse etiam hoc loco operæ pretium, si quis in hisce regionibus occurrat morbus rarus, antiquitus non satis cognitus, vel à consvetis morborum signis & moribus discrepans: aut ubi lento morbo vel potius continuo langvore aliquo, absq; manifesto, & veteribus non nominato symptomate affici contigerit: à quo citra caussam sensibus obviam paulatim consumitur, & simul inani vomendi conatu sine evidenti ventriculi affectione infestatur: suspectum protinus habere istum affectum debemus, & in scorbutum animadvertere. *Eugalenus pag. 338. Sennertus de sc. cap. 5. §. 1.*

37. Generalioribus hisce diligenter disquisitis & alia postea perpendenda: *Incipientis* enim signa sunt. Lassitudo spontanea: in abdomine & cruribus gravitatis sensus: crurum debilitas, ac dolor obtusus: hunc enim si cum pulsu occurrat debili, parvo, & inæquali, jure merito ex pathognomonicis hujus morbi signis cẽseri debere putat *Eugalenus obs. 44.* Hęc postea excipit, ebulliente nim. humore scorbutico pectoris angustia, ac respiratio difficilis & anhelatio: quam tamen hebetiores non sentiunt nisi à validiore exercitio: homo plerunque præter solitum fit corpulentior, & quasi pingvior, cum vividi corporis coloris ad lividum permutatione: pronus etiam ad lipothymiam, cum tamen reliquæ corporis facultates minus imminutæ sint, & debilitatæ, *Sennertus l. c. §. 2.*

38. Quæ signa si ex curantis inscitia, vel ægroti negligentia non animadvertantur, alia, & sequentia symptomata supervenire possunt: in quibus enim natura ipsi morbi caussæ adhuc dominatur, & prævalet, quam longissimè malum à

D no-

nobilioribus partibus à se removere studet, partim in pedes, partim in gingivas morbi caußã referens: unde rubedo gingivarum pruriginosa: facies fit pallida, & livida: urina variat nunc tenuis, nunc turbida exsistens: In eâdem etiam quandoque majora putrefactionis signa sunt, quam sitis & æstus ostendunt, morbo lento existente, & nulli veterum morbo suis signis & symptomatibus accedente: pulsus est parvus, debilis & inæqualis, ac sæpè vermicularis: vel magnus & durus, absque inflammatione. *Sennertus l. c.* §. 3.

39. Ingravescunt hæc symptomata *morbo invalescente:* aliaq; etiam accidũt: Pectoris enim angustia, & anhelitus difficultas adeò sæpè augentur, ut dum se movent, & erigunt ægri, lipothymiam minentur: cum tamen decumbentes liberius respirent. Ventris tormina: gingivarum laxus, & sangvifluus tumor: earumque fœtor adest: caro ad dentium radices abscedit, pravo humore dentium alveolos occupante: dentes vacillant: sordes tartari instar vini dentibus vacillantibus adhærent. Crura liberaliore lutulenti humoris haustu inebriata, & ad ambulandum inepta redduntur, & q. paralysin quandam patiuntur: Maculæ variæ minimè tuberosæ undiquaque prorumpunt. Crura sæpè sic attenuantur, ut ossa videatur cutis tangere sola: sæpè intumescunt: sæpè ita exulcerantur, ut Elephantiasin Arabum esse suspicari possis, *Sennertus l. c.* §. 4. His & alia sæpè accedunt, quæ ut conspicua reddantur, placuit juxta Alphabeti ordinem omnia apponere symptomata, quæ in lectione autorum circa scorbutum accidisse observavi: quamvis nullus ferè morbus, nullum symptoma sit, sub quo delitescere quodve comitari scorbutus nequeat.

40. Conjungitur enim scorbuto ALVI FLUXUS seu Diarrhæa, qua fœces nunc compactæ quidem, sed copia ingestum cibum excedentes, coloris varii, nunc herbacei, nunc cinericii excernuntur: nunc liquidæ confertim, & magna copia ejiciuntur, ita ut nonnunquam ad quinquaginta secessus excrescant. *Sennertus l. c.* §. 39. *Matthæus Martin. thes.* 50. Sæpè quoque fluxus alvi sangvinolenti accidunt, Dysenteriam

riam

riam æmulantes, à quibus tamen nequaquam diminuitur morbus, cum anxietatibus præcordia vellicantibus, animiq; deliquiis *Sennertus l. c.* §. *40. M. Martini th. 50.* Fiunt hi fluxus, quod ſerum ſcorbuticum, vel ſangvini miſtum, vel aliis humoribus, magno impetu ruat ad inteſtina. Nocet autem adſtringentibus fluxum ſiſtere, quod copia adſit humoris ſeroſi exitũ quærentis, qui tamen concoqui nequit. Subſiſtente igitur alvo fertur in vicina ventriculi loca, & ad cor, ac ſubſequuntur ſymptomata cordis: ut animi deliquia, & anguſtia pectoris. *Conring. diſp. de ſcorb. th. 32. Sennertus l. c.* §. *39.* ubi quidem fluxus hujus alias cauſſas ponit, vix tamen probabiles.. Primam quod attinet, ex Harveana circulatione ſatis patet, venas non attrahere alimentum: idque prolixè probat *Conring. de gen. ſangvin. pag. 329.* itaque nec venarum, nec hepatis debilitas hic accuſari poteſt: quod alteram, falſum itidem humorem ab inteſtinis ad lienem ire: falſum etiam à liene ad inteſtina ire per venas: ſed omnis ſangvis, qui in ramo ſplenico eſt, defertur ad portæ truncum, hinc ad hepar. *Conring. de gener. ſang. pag.* 157. Nondum etiã probatum ſatis, lienem aquam ad ſe trahere. ALVI ADSTRICTIO, ut vix poſt tertium, vel quartum diem ſemel dejiciant. *Sennertus l. c.* §. *41.* Provenire hæc videtur, vel ab humoribus ſalinis, inteſtina exſiccantibus, & conſtringentibus: vel quod humiditas aliò potius, ad veſicam nempe, aut corporis habitum feratur: unde fœcibus ſiccatis non poteſt non ſiccari venter. Vel quod *Sennertus* vult *l. c.* §. *41.* ob inteſtinorum revulſionem, & retractionem ſurſum factam. ANXIETAS & ANGUSTIA CIRCA PRÆCORDIA, præcipuè à pharmaco purgante exhibito, aut à motione corporis. *Eugalenus paſſim in obſerv. Sennertus l. c.* §. 8. *Matth. Martini de ſcorb. th. 24.* Anxietatem hanc non ab obſtructione oriri puto, quippe quæ ſæpè nulla adeſt, ſed ab humorum perturbatione, & ebullitione, unde ventriculus & præcordia extenduntur. Chimici non malè in ſpiritum ſalis cum tartaro, ſeu ſpiritum tartareum referunt anxietates tales, hinc enim ſcorbuticis tam familiares, *Sennertus de conſen. cap. 16. pag. 275.* Conjungitur autem huic an-

 gu-

gustiæ interdum lipothymia, tum ob ventriculi consensum: tum quod humores ebullientes ad cor simul ruant, idq; quasi obruant, & in motu impediant. *Sennert. 3. prax. pag. 519. Conring. disp. de scorb. th. 20.* ANHELITUS ferè omnibus scorbuticis fœtet, ut astantes eum vix ferre possint, & nares avertere cogantur. *Sennert. l. c.* §. *47.* APHONIA à partium lingvam moventium contractione, & convulsione orta, item à lingvæ paralysi. *Mat. Martini de scorb. th.* 236. tum quoque à tumore circa collum: *Eugaleno pag.* 183. APOPLEXIA quam interdum præcedit gangræna. *Sennertus l. c.* §. *26. & 61.* Pono autem apoplexiæ caussam, non obstructionem ventriculorum cerebri: dogma enim hoc jamdudum explosum: Non principii nervorum angustiam: quum ex hac opinione non omnium φαινομένων, quæ circa hunc affectum occurrunt, solida possit dari ratio, & alias facilè refutetur: nec etiam arteriarum, plexum retiformem constituentium, compressionem: ob hujus enim plexus angustiam cum non omnes spiritus vitales intercipi possint, sed multa alia dentur vasa, quæ capiti sangvinem suppeditent, non omnis sensus, & motus ablatio infertur: Sed amplector sententiam *Hippocratis lib.* 2. *de morb. & lib. de sacro morbo:* à carotidum angustia, & obstructione fieri. Vasis enim his obstructis non solum sensus communis, & appetitus, qui resident in corde, impediuntur, cum nulla fiat delatio specierum ad sensorium illud, cor: unde necessario & sensus & motus (quorum uterque sensus communis auxilio indiget) auferuntur: sed etiam influxus vitalis caloris ad cerebrum & nervos denegatur: hinc nervi omnes non possunt non admodum debilitari, & refrigerari: at nervis refrigeratis plus justo sensum tolli, & per consequens motum voluntarium, experientia constat. Ex obstructione etiam horum vasorum suffocatio oritur: non solum quia sangvis retrogrediens obruit cor; sed etiam quia musculi laryngis sangvine intumescentes laryngem comprimunt, atq; ita respirationem impediunt occludendo meatum aëris. Obstructio autem talis fit non solum pituita copiosè è capite delabente, sangvinem incrassante, & motum ejus impediente: verum etiam

à ſangvine cum impetu ad caput rapto, vel ab ictu, caſu, aut alio modo eò detruſo: vel ebulliente, & efferveſcente: vel flatibus multis, ſangvinē inflantibus & quaſi congelantibus, referto. Et hoc modo Apoplexia quoq; in ſcorbuto accidit: quando nimirum ab ebullione humorum, vel ſangvine largis exhalationibus repleto cor ſuffocatur, & carotides obſtruuntur. *Conring. diſp. de ſcorb. th. 34.* APPETITUS DEJECTIO: quæ etſi rarò combinetur ſcorbuto, aliis tamen advenientibus ſymptomatibus adeô invaleſcit, ut cibum planè non ferant, ſed ab eo vel modica quantitate aſſumto omnia exaſperentur ſymptomata. *Eugalenus obſ. 70. Sennertus l. c. §. 34. Salomon Albertus diſp. de ſcorb. th. 87.* Provenit *ἀνορεξία* hæc ventriculo langvente & exſoluto præ ſeri non admodum acris copia. Quin potius in ſcorbuticis APPETITUS INSATIABILIS eſt, cum tamen à ſumto cibo vires non conſervētur, verū omnia in deterius ruere conſpiciantur. *M. Martini de ſcorb. th. 48.* Cauſſam hujus appetitus dedimus *ſupra th. 15.* ARDOR URINÆ *Sennertus l. c. §. 11.* & muſculoſarum partium, brachiorum nimirum, & aliarum, ſenſu guttularum ferventiſſimarum aquę ardentis aſperſarū: nullo interim apparente externo veſtigio: ſequitur hic ardor quādoq; uſū ſudoriferorū: nempe diſcuſſo ab hydrotico ſeroſo humore, facilè remanet ſalis aliquid in illis locis, quod exæſtuans ita afficit: præſertim in plantis pedum ardor talis, & intolerabilis dolor percipitur cum maculis ſublividis in cruribus: quem tamen utplurimum crurum reſolutio excipit, *Eugalenus pag. 94. Sennertus l. c. §. 5. M. Martini l. c. th. 41.* ARTHRITIS, de quo *infra th. 42.* ubi de doloribus ſcorbuticis agemus. ATROPHIA, hanc autem ſubintelligo atrophiam, quam expreſſit *Primoroſius lib. 2. de vulg. erroribus cap. 6. pag. 52.* Quando nim. nec alimenti penuria, nec vacuatione immoderata, nec aliarum cauſſarum evidentium vi, nec acuto morbo, nec febre hectica nec phthiſi corpus emarceſcit, ſed lentè ac pedetentim corpus etiam ſumtò alimento alitur: Eaque in ſcorbuto *eſt totius corporis*, de qua *Eugalenus pag. 159.* ubi ſimul tradit, quomodo ab aliis Atrophiæ ſpeciebus diſtingvatur, *Sennertus l. c. §. 62. M. Mar-*

tini disp. de scorb. th, 82. 717. quandoque *crurum:* & tum tibiæ solent splendescere ob intensam nimium cutem, nisi tamen asperdinibus aut squammulis obsitæ sint, *Salomon Albertus disp. 1. de scorb. th.* 123. Fit hæc atrophia citra omnem veteribus cognitam rationem, & æstuantem calorem cordi infixũ: benignorum succorum loco salsis & acribus genitis: hi enim tabificam vim habent: cum sal extenuet, siccetque: vulgo dicitur der schwindende Schorbock. *Vid. Conring. disp. de scorb. thes.* 34.

41. Calor Nocturnus p.n. febrili tamen absimilis, sine ullo horrore, frigore, vel rigore, duratque usque ad tempus matutinum, & plerunque sudore superveniente discutitur. Et quidem ut *Sennertus tractatu 2. de scorbuto* habet, servat hic calor interdum certa intervalla more quotidianæ, nec tamen quotidianæ febris proprietates habet. Accidit procul dubio salso hoc humore ebulliente, & sese commovente *Sennertus l. c.* §. 49. Cui tamen in hoc assentiri non possumus, quod vult ebullitioni huic ansam dare chylum elaboratum ad lienem & venas mesaraicas tendentem: ex falsa enim hypothesi disputat chylum per aliquot horas in ventriculo morari, tum demum deferri ad mesaraicas, & lienem per ramũ splenicum: quod non est. Cœcitas Subitanea ex scabie ad interiora reversa. *Sennertus l. c. §. 5. & 27.* Colica, de qua tamen postea, ubi de dolore agetur *th.* 42. Convulsio, seu Convulsivi Potius Motus, sæpè *totius corporis*: tale exemplum habet *Gregorius Horstius obs. tom.* 1. *lib.* 2. *obs.* 8. & ex morbis universis nulli æquè scorbuto, ac convulsorii, aliiq; his communes motus sunt familiares: *M. Martini l. c. th.* 102. Maximè tamen nautis infesta convulsio, qui interdum ab hac adeò contrahuntur, ut in gyrum circumvoluti nullum ferè membrũ habeant, quod extendere valeant. *Eugalenus pag.* 117. 129. Sunt a. motus hi plerunq; cum febre cõjuncti: & eadem facilitate, qua prehendunt, remittunt, iterumq; recurrunt. *Eugalenus pag.* 129. *obs.* 53. *Sennertus l. c. §.* 24. Solentq; præcedere eos, vel totius corporis concussio, vel tremor, vel paralysis, vel brachia, & manus obrigescunt quasi, sed brevi tempore, & sæ-

pè

pè præter omnem rationem in morbum alium, cataphoram, paralysin modo evanescentem modò præter exspectationem redeuntem transeunt. *Eugalenus p.120. Sennert. l.c. §.24.* Nonnunquā & particulares convulsiones excitantur, quæ tamen quandoq; absq; febre, quandoq; cū febre sunt: & post gravissimos dolores accidunt. *Eugalenus pag.128.130.* sic genua retracta ad faciem conspiciuntur. *Sennert. l.c. §.5.* Convulsio circa calcaneum. *Eugalen. p.129.* Spasmus cynicus *Idem p.130.* partium & musculorum lingvam moventium: sic & convulsio mesenterii & aliarum, de quibus dicetur adhuc. Caussa convulsionis non est repletio vel inanitio nervorum: quia nervi nec secundum naturam possunt musculos movere multo minus præter naturam: nec morbida cerebri & spirituum dispositio, à qua imaginatio appetitui juncta sic vitietur, ut musculis violentam illam contractionem, per quam membra invitis nobis distorqueantur, imperet: Non deniq; facultatis expultricis partium fibrosarum & nervosarum in musculis à re molesta irritatio, quæ facultatem animalem in consensum trahat, atq; ad violentam illam contractionem incitet: Sed flatus humori scorbutico juncti, & in musculorum substantiam, eorumq; fibras, ac interdum ipsa vasa se insinuantes: Hi enim exitum non invenientes distendendo musculorum ventres eos convellunt. CORDIS PALPITATIO per intervalla repetens. *Eugalen. obs.3. Sennert. l.c. §.32. Matth. Martini th.24.* Cor sc. maligni hujus humoris occursu lacessitum fremit, & luctando tumultuatur motu violentissimo ad expulsionem veneni exitium inferentis. CRURUM DEBILITAS & impotentia ad ingressum citra aliquod extrinsecus apparens vitium *Eugalen. pag 93. & passim.* Caussa hujus scelotyrbes est serum frigidius, gravitate sua in hæc loca ruens, & ceu oedemate intumescere faciens, dum in musculos sese undiq; insinuat, nec ita prompte circulari potest. EORUNDEM RIGIDITAS, unde fit, ut genua ita contrahantur: tendinibus nimirum musculorum rigidis, & callosis in poplite evadentibus: idque fit, quando serosis, & aqueis humoribus absumtis, vel alio modo separatis crassus & tartareus humor

musculis & tendinibus adhærescit, *Sennert. l.c.* §. 25. *Salom. Albert. disp. de scorb. th.* 115.

42. DENTIUM VACILLATIO tanta, ut visum fuerit, una nocte omnes excisuros, qui tamen alveolis suis firmiter altero die hærebant, *Eugalenus obs* 47. *Sennertus* l. c. §. 5. Interdum unus tantum vacillat in quem fit influxus. *Eugalenus obs.* 40. accidit hæc vacillatio, radicibus dentium aut madidis nimium, aut simul putridis. DENTES SÆPE ETIAM NIGRESCUNT, & quasi siderationem patiuntur, sola tamen superficies colore tincta est *Sennertus l. c.* §. 9. nim. ut alias videmus Spiritum victrioli, salis, tingere albicantia nigro colore: ita à salso hoc humore contingit, si radicibus dentium albis ad hæreat. DELIRIA inopinata, eorundemque præter rationem intermissio, præsertim febribus ingruentibus & post cathartici vehementioris usum *M. Martini th.* 34. & 83. *Senn. l. c.* §. 30. interdum cum nullo æstu sine molesta aut inquieta jactatione infestantia, ab occulta potius qualitate, quam caloris vehementia procedentia: sive à turbato circa cor, & partes superiores sangvine: tunc enim & mentem obturbari necesse est: Cum sangvis in homine maximam partem ad prudentiam faciat: teste Hippocrate. *Conring. disp. de Scorb. th.* 34. IN DIGITORUM EXTREMIS, ut & articulorum intervallis puncturæ sæpe molestant infestæ. *M. Martini disp. de Sc. th.* 41. DOLORUM tam varia genera in universis ferè membris persentiunt Scorbutici, ut scripto omnes comprehendere res sit maximæ operæ, & fermè impossibilis: qui varias etiam induunt facies, non semper quidem, *ut M. Martini vult disp. d. th.* 274. ob vapores è minera mali ascendentes: sed ob varietatem & diversitatem salini humoris: Non continuò etiam infestant ob humoris tenuitatem, qui facilè ex partium substantia in venas rursus protruditur: Interdum enim dolores non in una sede morantur, sed variarum partium vellicatio, & lancinatio percipitur, ægriq; carnes sibi quasi divelli, & dilacerari conqueruntur, alii tales se dolores percipere dicunt, ac si digitis carnes evellerentur: alii de pungentibus, alii de excedentibus doloribus conqueruntur: alii ne quidem

eos

eos explicare possunt. *Sennertus l.3. §.13.* Huc pertinent illi Dolores Vagi, qui Dithmarsis & Westphalis Vari, die lopende Fahren/ab aurigando, quod nusquam non in corpore huc illuc, ultro, citroque, susq;, deq;, atque imprimis per artuum compagines, velut catullientes cum sensione pererrantium formicarum aurigentur, Brusacteris per ἀντίφρασιν gute Kinder/in tractu Göttingensi gute Hölden / & alibi die Kadden nominantur. *Salom. Albertus disp.* 1. *de scorb. th.*29. probè putat posse vocari δερμοσκώληκας, ἢ σκώληκας ἀμφιδέρμους, cutambulos, & veredarios vermes. *Vide de his tom.*1. *observ. Gregorij Horstii epistola, sect.*2. *pag.*353. *Schenkii observ. l.*5. *de arthritide obs.*119. *Sennertum tractatu de Arthritide quæst.* 6. *pag.*81. *Platorum l.*1. *obs. pag.*89. 91. *Forestum l.*20. *observ. n. l. pag.*414. Nunc verò Crurum dolor obtusus, nunc tensivus, nunc ὀστοκόπος oritur, qui præcipuè sub noctem affligit, ac adeò ingravescit aliquando, ut ne horam in lecto quiescere possint, & crura sibi q. malleo contundi conquerantur *Eugalen pag* 78. *Sennertus l. c.* §.13. *M. Martini d. l. th.*274. Cur autem dolores præcipuè sub noctem ingravescant, caussa est motus humoris hujus. Surarum etiam præcipuè inter eundum cruciatus obtingunt, & tum plerunque suræ tensæ, & duræ absque inflammationis nota à sale & crasso humore eo decūbēte deprehēduntur, quod pro certissimo signo scorbuti habent *Eugalenus p.*91. *Sennertus l. c.* §.13. *Martin. l. c. th.* 40. Circa Talos & Juncturas, Plantasq; Pedum mordicans dolor: qui solet præcedere maculas, quas vocant die Nachtgriffe oder Albflecke/ *Sennertus l. c.* §. 13. *Brunnerus tractatu* 2. *de scorb.* serum enim acre prius juncturis molestiam creans postea ad cutem projicitur. Item Circa Manuum & Digitorum Extrema, qui aliis sub noctem, aliis circa vesperam, aliis post mediā noctem advenit. *Eugalenus p.* 78. *Sennertus l. c.* §.13. Coxendicum qui sunt continui & graves. *Eugalenus p.* 141. *obs.*13. 14. 15. *Sennertus l. c.* §.13. *M. Martini l. c. th.*40. Genuum *Eugalenus obs.* 17. 33. *Sennertus l. c.* Nuchæ, qui sunt tensivi, & prementes, *Eugalenus p.*79. *Sennertus l. c.* Ventris Etiam Dolor & Tormina, quæ interdum tanta sunt, ut ægri distentionibus istis in-

peritonæi rupturam incidant: non tamen continuo, sed per intervalla vexant, sæpè tamen ad diem quadragesimum, & ultra extenduntur, modo has, modo illas abdominis partes, imò sæpè universum imum ventrem corripientes, venterque adeò deprimitur, & cum umbilico introrsum revellitur, ut umbilicus lumbis videatur quasi annexus, venterque excavatus: à quo affectu nomen etiam scorbutus mutuasse videtur: *Sennertus l.c.* §.14. *Et lib.3.prax.pag.453.* De subjecto torminum horum digladiantur: dum alii in tunicis intestinorum materiã hærere putant: & licet non negem, posse simul partẽ quandã humorũ ibidem delitescere: si tamẽ hæ unicũ subjectũ essent, non explicari posset, qua ratione venter introrsum ita convelleretur: Dicerem itaque oriri hoc malum ex convulsione mesenterii: retractis nim. versus originem mesenterii fibris, venter quoque totus non potest non quasi contrahi in lumbos, dolorque toto in abdomine ingens excitari, utpote cum intestina convulsionem hujusmodi sine dolore vix pati queant. Et convulsio talis fit, quando sero scorbutico ebulliente flatus generantur, & intra fibras mesenterii insinuantes sese, easque distendentes contractionem hanc violentam efficiunt. Desinit autem hic dolor in arthritidem & Epilepsiam: quando una cum humore tenui hinc inde moto simul illi flatus per arterias protruduntur, aut in caput, unde comitialis morbus est, aut in articulos, unde dolor eorum. Et quidẽ serum hoc sæpè in flatus resolvi docet non solùm convulsio aliarum partium, sed & ructus scorbuticis familiaris. Hypochondrium quoque nunc unum, nunc alterum dolore obscuro afficitur: qui tamen dolor non uno loco circumscriptus hæret, sed modo in lumbos & inferiora corporis, modo per universum corpus oberrat. *Sennertus l.c.* §.15. Non rarò Lumbi dolore afficiuntur: qui dolor sæpè à scapula incipit, & sensim ad lumbos serpit, interdum etiam ad os coxendicis descendit: vocaturque malum hoc, quia eò afflicti vix progredi, & se de loco moveri possunt, Græcis λόρδωσις, Latinis Lumbago. *Sennertus l.c.* §.16. tabemque dorsalem, seu spinalem, aut ossis sacri Hippocrati dictam conciliat. Lumbagi-

ginem hanc fieri docent Doctores, quando materia in acetabulū coxendicis protruditur: obstruuntur enim tum orificia vasorum, sangvinem ad spinam deferentium: nec sangvis ex arteriis ad venas propelli potest. Non verò, quod *Sennertus* vult *l. c.* §. 16. à catharro è capite per venas in spinalem medullam descendente: Nulla enim vena à capite aliquid defert ad spinalem medullam: itaque prolixa non eget refutatione. NEPHRITICIS quoque similes dolores scorbuticos infestant. *Sennert. l. c.* §. 17. Nonnullos CAPITIS DOLOR circa vesperam infestat, præcipuè verò ex hæmorrhoidum suppressione scorbuto afflictos: & tota postea nocte calor quidam p. n. instar febrilis in toto corpore percipitur, qui sudationibus matutinis finitur. *Sennertus l. c.* §. 18. Dolor autem hic capitis vel est continuus, vel per stata intervalla recurrit, circa verticem utplurimum infestus, qui deinde per temporum musculos ad DENTES properat. *Eugalenus obs. 40.* Unde & in iisdē dolores nunc periodici, nunc continui: vagi tamen plerunq; nec eodē loco subsistentes, dentemq; nunc hunc, modo illum relaxantes, qui rursus sponte firmatur, *Eugalenus obs. 11. Sennertus l. c.* §. *19.* Interdum dentes cum dimidii & alterius lateris maxillæ doloribus afficiuntur *Eugalen. pag.* 79. MUSCULORUM LARYNGIS dolorem *Eugalenus* observavit *obs.* 11. sicut ibidem SCAPULARUM lancinationes *M. Martini d. l. th.* 40 PLEURITICUS quandoque dolor persentitur, qui tamen in omnibus ferè à vera pleuritide discrepat, ut tradit *Eugalenus pag.* 82. *& seqq. obs. 41.* 59. 66. *Sennert. l. c. §. 20. M. Martini d. l. th. 41.* DORSI dolor adeò gravis est nonnullis, & molestus, ut mori se magis, quam diutius cum eo vivere optent. *Eugalen. pag.* 81. qui *obs. 51.* dicit sæpè hunc febres scorbuticas comitari: quæ tamen lentæ sint, cum pulsu molli, & inæquali. ARTHRITIS denique sæpè infensa scorbuticis: verum rarò in uno loco ad morbi solutionem subsistens, sed ab extremis digitis ad brachia & crura adscendens: maximè in initio morbi. Conjuncta hæc est quandoque cum levi paralysi, quæ cum dolore cessat & redit, atque in eandem partem, in quam dolor, migrat. *Sennert. l. c. §. 21. Salom. Albertus disp. de scorb. th.* 91.

Si verò diutius medicorum ignorantia, vel ægri inobedientia, vel alia de caussa, morbus hic perseveret, qui in initio discurrentes, intermittentesque dolores fuêre, postea stabiles in debilitato longiore morâ membro fiunt. *Eugalenus pag. 139.* Mirari autē hic subit, & irridere vias, excogitatas à Medicis, per quas nim. humor Arthritidis caussa ex cerebro fluat in articulos: dum alii, ut Fernelius, per subcutaneas membranas: alii ut Joel *l. 10. prax. sect. 2. pag. 384.* per membranarū nervos: alii per alias defluxionem fieri voluerunt: cum facili negotio horum omnium ratio ex Harveo deduci possit. Et quis omnes dolorū species recenseat: illorū tamen omnium, quotquot sunt, agnitio est ex pulsu parvo, & inæquali. Nam urina sæpè nullam scorbuti in doloribus illis significationem præbet. *Eugalenus obs. 40. pag. 333. & 431.* Ad Dorsum etiam non rarò in scorbuticis retrò caloris sensus, in parte corporis anteriore sensus frigoris persentiscitur. *Eugalenus pag. 43. Sennertus l. c. §. 50.*

43. Epilepsia pueris præsertim familiaris qui à parentibus Scorbuto inquinatis generantur, vel à nutrice eodem malo infecta alimentum capessunt. *Sennertus l. c. §. 24. M. Martini l. c. th. 109. Eugalenus pag. 119. & seqq.* ubi simul docet, quomodo discernenda sit hæc Epilepsia ab Epilepsia veterum. Transit autem aliquando præter rationem subitò in Cataphoram, Paralysin, vel abscessum sæpius sponte evanescentem. *Eugalenus p. 120. Sennertus l. c. §. 24. M. Martini l. c th. 78. & 113.* Caussa Epilepsiæ non est ventriculorum cerebri semiplena obstructio ab humore crasso & viscido: quæ Galeni sententia jamdudum ab aliis refutata: nec etiam vellicatio eorundem ventriculorum, aut quod aliis placet membranarum cerebri, & nervorum à re acri, & cerebro infensa: qui enim talem fingunt vellicationem, ut alia taceam, non possunt omnium Symptomatum Epilepticorum imprimis cordis affecti, caussam reddere: Sed si quid dicendum, est probabilius, fieri ab interceptione vasorum è corde in cerebrum tendentium, aut in eo dispersorum; Hæc autem si intercipiantur, non potest ex corde eo, quo debebat, modo

san-

sangvis distribui: itaque collectus in corde necessariò inducit nativi caloris suffocationem, simulque oppletis pulmonibus graviter respirationem lædit: Iu illam suffocationem reducere facile est postmodum omnium reliquorum caussam quæ circa morbum comitialem contingunt: sensuum scilicet oblæsionis:(læduntur enim eodem ut in Apoplexia, modo, cujus caussa supra data)motuum itidem convulsivorum: (suffocato videlicet corde & respiratione impedita aër in thorace detinetur, unde pectus distenditur, & aër violenter per vasa in musculos detruditur, eosque inflat: detenta verò tali flatuosa humiditate in musculis convulsivi oriuntur motus: quanquam & hoc non sit negandum, membrorum illam quassationem in epilepsia non tantoperè à convulsione esse, quam ab insigni metu, & angustia cordis: ita ut ægri adeò perculsi semetipsos percutiant, etiamsi postea haud reminiscantur, quid egerint: Carotidum autem hanc obstructionem, & inde provenientem Epilepsiam in Scorbuto fieri credimus cum *M. Martini l. c. th. 58.* ab atro, glomeroso, & grumoso sangvine varicum modo prius venas attollente, postea versus cerebrum rapto, & in carotidibus subsistente: vel ab humore Scorbutico ebulliente & ascendente cum impetu, carotidas opplente, & cor suffocante. Aliàs non negamus interdum Epilepsiam progigni à vapore maligno, cerebro tamen, & membris principibus infenso peculiariter: Hic enim licet sæpe ab extremo pede ascendens totum corpus sine noxa permeet, ad cerebrum tamen propulsus, cum illi adversus sit, sangvinem ibidem perturbat, & si levem quandam perturbationem & commotionem excitet, vertiginem parit: quod si valde, & cum impetu ad carotidas feratur, adeò ut obstructionem inducat, Epilepsiam gignit: quanquam & fulminis instar tales vapores constringere & congelare sangvinem, affirmari possit. Ex his quoque liquet, quomodo Epilepsia Scorbutica in alios morbos degeneret. Si enim ex arteriis carotidibus humor propellatur ad venas jugulares, ibique subsistat, Cataphoram inducit: Cum quoque denegato caloris vitalis influxu in cerebrum, idipsum & ner-

vi non possint non insigniter refrigerari & debilitari, Paralysis facilè generatur: Abscessus denique, si humor in partem aliquam rejicitur, eamque attollit. Erysipelas nonnullos singulis ferè septimanis; alios singulis mensibus, longiore alios intervallo, cum horrore, magno langvore, & anxietate, nonnunquam levibus animi deliquiis invadit. *Eugalenus pag. 192.* & nunc hanc, nunc illam partem occupat, prout imbecillior invenitur. Oritur autem ex sangvine serosiore ebulliente, & ad partem aliquam projecto.

44. Facies quibusdam eo colore fœdata est, quem suilli petasonis fumo indurati, & cocti corium repræsentat: albis tantum circa oculos & nasum circulis, ac lineis, puerilis digiti crassitie, remanentibus. *Sennertus l. c.* §. 5. Interdum pallida, & livida quasi est, aut ex pallido in fuscum vergens, & maximè circa labia, vel palpebras: quamvis ab hoc morbo non solum facies, sed & totum corpus palleat, atque perinde, ut in Cachexia, justo reddatur luridius: nonnunquam tamen per intervalla facies rubore quodam & calore, seu phlogosi momentanea perfunditur, quod symptoma Germani die fliegende Hitze appellant. *Sennertus l. cit.* §. 45. *M. Martini l. c. th. 261. Horstius. obs. tom. 1. lib.* 4. *obs.* 4. Sæpe etiam calor hic cum langvore inusitato tandem in atrophiam, quam sudor copiosus præcedit, nervorumve resolutionem desinit. *Eugalenus l. c. M. Martini ibidem.* Caussa hujus caloris est effervescentia Scorbutici humoris. Facies etiam non raro intumescere & inflari subitò solet: qui tumor tamen repentè evanescit. *Sennertus l. c.* §. 56. Faucium Exulceratio *Sennertus ibidem* §. 3. Et Livor, qui tunc mortis ferè periculum haud longe abesse indicat, cum in iis appareat, quibus universum corpus putri lagine permaduit: *Wierus de scorbuto ubi de signis agit.* Favus, non tantum universum caput sed & totam frontem occupans. *D. Doringius apud Sennertum l. c.* §. 5. Febres sæpissimè scorbuto conjunguntur, sicut & quandoque in scorbutum degenerant: quæ tamen in multis differunt à febribus illis antiquorum: nisi quod interdum falso quotidianæ, tertianæ aut quartanæ typo ludant

eas-

easque dierum imitatione potius, quam signorum proprieate exprimunt. Sicut id multis docet *Sennertus l. c. §. 20.* & alii: plerunque *tertianæ* adsunt, cum quibus communicant febres illæ, quæ sub vernum tempus incipientes primum tertio quoque die tertianæ febris typo occurrunt: post septimū vero paroxysmum, nisi cum eo desinant, quotidie infestant, & ad festum D. Jacobi circiter ferè extenduntur, ac perseverant, nisi legitimè curentur: aut etiam si hanc temporis mutationem superaverint, fere annales sunt, ad proximum ver transeuntes. *Eugalenus obs. 56. pag. 380.* interdum QUARTANÆ: QUOTIDIANÆ etiam comitantur scorbutum: CONTINUÆ, vel ex continuæ, & intermittentis typo mistæ. PESTILENTIALES itidem & MALIGNÆ; quæ tamen febres omnes non tam per crisin terminari videntur sæpenumero, quam novos ex labefactatis visceribus producere morbos, prioribus non raro priores. *Wierus tract. de scorb. de signis.* FISSURÆ non raro LINGVÆ, ET LABIORUM in febre continua ob æstum interaneorum ad parvi ferè digiti crassitiem dissilientes, quæ tamen assumto potu è vestigio coalescunt. *Eugalenus obs. 62. 64. 69.* FLATUS in utroque latere abdominis nec in anteriorem, nec in posteriorem corporis regionem diffusi, ventriculi affectionem monstrantes, præcordia coangustantes, ac libertatem respiratus impedientes. *Eugalenus obs. 70.* FRIGORIS sensus, ac si frigida intus ad spinalem medullam effunderetur *Sennertus l.c. §. 50.* quanquam ut supra dictum *th. 41.* Eugalenus contra in quodam retro ad dorsum sensum caloris, in anteriore corporis parte frigoris observarit.

45. GANGRÆNA, & mortificatio vel unius, vel plurium corporis partium, præcipuè digitorum pedum: *Sennertus l. c. §. 61. Et lib. 5. prax. pag. 272.* gangrænæ hujus caussa sunt multæ terrestres siccæ & salsæ partes sero scorbutico conjunctæ: ideoque nec febrem parit, præ siccitate nihil illius salsi in cor abeunte: nec nisi tardè serpit, aut tollit vitam, nec effluit quicquam, nec ad est fœtior: quod caussa morbi non quid humidum, sed siccum sit: sicca vero stant suis terminis, non diffluunt, non fœtent. *Conring. disp. de scorb.*

ſcorb. th. 22. GENARUM RIGIDITAS: quando ſcilicet cardo oris, in quo maxilla inferior ſub via audiendi vertitur, non aliter, atque compago genuum obrigeſcit, iisdemque os ſtrictius connivet, quo minus in rictum diſpandi queat. *Sennertus l. c.* §. 26. *Salomon albertus d. l. th.* 112. Eſt autem hæc propria eorum, qui ſcorbutum vel ex parentum ſemine, vel lacte hauſerunt. *Salomon Albertus l. c. th.* 157. Et his talibus ex conniventia oris, mandibularumque rigore, etiam explanatio in pronunciando magna ex parte vitiatur, atque ita oblæditur, ut priſtinam gratiam prorſus amittat: ſimulq; inter manducandum & oſcitandum dolorem concitat immanem *M. Martini de ſcorb. th. 39.* Et ſi quid aliud, hic rigor indicat craſſum ſalſumque humorem,: GINGIVARUM RUBOR PRURITUS, EROSIO AC PUTREFACTIO, FŒTORQUE: quæ etiam interdum præ nimia luxurie humorum diffluentes adeò gliſcunt, ut vel leviſſimo ſcalptu, attrituve fatiſcentes rimas agant. Quod vitium Germanice Afelen nominatur: & tunc tantam copiam ichoris cruenti ſalivant, ut in dies ſingulos excipiendo ei aliquot heminæ vix ſufficiant. *Sennertus l. c. §. 9. Et lib. 2. prax. part. 1. cap. 16. & ſeqq. Sa.omon. Albertus d. l. th. 103. M. Martini l. c. th.* 46. Si huic vitio non occurritur, putredo augetur, ut caro à dentibus ad maxillam usque recedat. Immo Colerus ſcribit, ſe Bertini vidiſſe viri ſenatoris cujusdam filiis maxillam penitus excidiſſe: quandoq; gangræna ſequitur. *Matth. Martini ibidem.* Omnia hæc gingivarum mala facilè quis deducet ab humore ſalſo ſcorbutico: â ſale enim pruritus, eroſio, putrefactio, à putredine fœtor: quamvis non ſolum gingivæ, ſed & totum os fœteat. GRAVITAS CORPORIS malum inſeparabile ferè ſcorbuti.

46. HŒMORRHAGIÆ variarum partium ſcorbuticis obtingunt: imprimis NARIUM ſunt frequentes: LABIORUM etiam, non conſpicuo tamen oſtio *Sennertus l. c. §.* 5. & 43. Sicut & è vena in crure aperta per aliquot dies ſangvinem fluxiſſe ſcorbutico *Sennert. ibid.* obſervavit, cujus tamen vix orificii veſtigium appareret. EX GINGIVIS: qui quidem fluxus gingivarum interdum eſt Criticus & non ſtatim ſiſtendus.

Huic

Huc pertinent exempla à Dodonæo obs. 14. Amato Lusitano centur. 5. curat. 5. observata: item à Julio Alexandrino in annot. ad cap. 11. lib. 2. method. med. Galen. & à Sennerto l. 2. prax. pag. 83. conscripta. HERPES brachii sinistri. *Sennertus l. c.* §. 5. HORRORES frequentes etiam sunt, quos interdum nullus, aut quam minimus calor sequi solet: & eodem die interdum bis, vel etiam sæpius invadunt. *Eugalenus obs. 1. 2. 30. 48. 49. Sennert l. c.* §. 48. Nonnunquam tamen, teste Eugaleno, subsequitur calor, sed cum multa in præcordiis anxietate conjunctus, non infido hujus mali charactere: non rarò visi sunt horrores post æstuantem calorem: quin & plurimi exhorrescentia & tremore sex aut pluriũ horarũ ante febrilis caloris accessionẽ mirum in modũ enervantur, cũ multa siti, & molesta lingvæ, labiorũq; ariditate. HYDROPS, *Eug. p.* 188. *Oritur* quando coacervatum serum scorbuticum in abdomine, & vasis mesenterii vel proprio motu incandescens, vel à purgante exacerbatum in omentum & abdominis capacitatem diffunditur osculis vasorum apertis, vel renibus suum non facientibus officiũ, & hinc videmus cur interdũ post purgationes hydrops in scorbuticis subsequi soleat: *Vid. Conring. disp. de scorb. th.* 34. Hydrops scorbuticus, quibus à communi discernatur, docet *M. Martini l. c. th.* 80. De *Hydrope vesicali inf. th.* 55.

47. INTESTINUM RECTUM ita quandoq; sursum revellitur, ut non solum fœcibus exitum intercludat, sed & aditu glandes & clysteres prohibeat, ut non nisi vi intus adigi possint, cujus causa patet ex iis, quæ *th.* 42. de ventris torminibus diximus. ICTERUS non solum FLAVUS *Sennertus l. c.* §. 5. Sed & NIGER *Idem ibid.* §. 46. ab eadem enim hi caussa oriuntur, & frustra hic distingvi arbitror cum *Hofmanno patholog. parv. cap.* 22. §. 6. *pag.* 91. Icterum flavum, & nigrum: Cum apud veteres unicus sit color, ὤχρός, qui est ex viridi pallidus, modo magis, modo minus: unde diversitas quædam colorum oriri videtur.

48. LABIA, genæque cum superioribus oculorum palpebris sublurido colore tincta, etiam media ætate. *Eugalenus obs. 8. & 19.* LANCINATIO partium initio accessionum febriliũ scorbuticarum, *Idem p.* 214. LASSITUDO SPONTANEA citra evi-

dentis morbi significationem invalescens, quaque pristinum robur, ac florem sibi potius adimi, quam ægrotare sic affecti conqueruntur: Malum hoc in initio quidem lentum, & levidense est, progressu tamen temporis, ubi vires acquisiverit, multarum septimanarum ac mensium spacio ægrotos lecto affigit, & nonnunquam haud sine præsenti vitæ discrimine in graviora mala, ut obtusum crurum dolorem, vel facilem lipothymiam, (maximè quoties sese erigere in rectum statum, aut de lecto surgere volunt:) & ulterius eo perseverante in atrophiam, aliasque difficultates, ac mortem denique ipsam præcipitat. *Mat. Martini th. 259.* Provenit ab eodem humore scorbutico, seu multo sero per arterias in ambitum corporis & musculos protruso *Conring. disp. de scorb. th. 25.* LINGUÆ, PARALYSIS, & APHONIA, de qua supra *th. 40.* LIPOTHYMIA quam pro certo signo habet *Eugalenus pag. 75. & 32.* Qui enim in parvo, inquit, quantum ad sensum morbo, ac febre, à qua decumbentes parum, aut nihil pati videntur, subitò ac præter rationem animo linquuntur, aut ad animi deliquium proni sunt, hos scorbuto laborare, certo tibi persvadere pores. Maximè autem, ut dictum antea, infestat ægros, cum in lecto se erigunt, vel è lecto surgunt, *Sennertus l. c. §. 32. M. Martin. l. c. thes. 70. & 241.*

49. MACULIS colorari scorbuticorum corpora frequentissimum: prodeuntque interdum etiam homine obambulante, & nullum aliud sanitatis detrimentum patiente. Sunt autem in principio rubicundæ illis, quæ à pulicum morsu relinquuntur, similes; hinc decoloratæ flavent, tanquam in iis, qui vibicibus cæsi sunt, vel intenduntur, & saturatiores evadunt, puta blavæ, plumbeæ: tandem virescunt, livent, atque ut in Elephantiasi umbrosæ fuscantur, & ad nigrum tendunt, *Salom. Albert. th 118.* Oriuntur, quando per tenuiora vasorum oscula serosus humor effunditur, qui cum sangvineo plerunque sit colore, apparent & illæ primum purpureæ, mox sublividæ, tandem nigrescentes, ut solet colorem mutare sangvis extra vasa sua profusus: interdum & flavæ, aut virides, in biliosum recrementum abeunte sangvineo sero: quanquam & interdum statim ab initio flavæ sint; idque

la-

laborante hepate, nec bilem apprimè separante: Prodeunt autem quandoque sensim, & latenter, quandoque confertim ac simul: prout major minorve humorum ebullitio existit. Et modo erumpunt, modo evanescunt: non quod semper difflетur serum, sed quia rursus in venas ob mobilitatem protrudatur: quod si maneant maculæ, nec dissipetur serum, quãdoque abeunt in ulcera sanatu difficilia: nonnunquã in squãmas resolvunt cutem, quæ à reliqua cute non secus ac in Erysipelate separantur, *Salom. Albert. l. c.* idque accidit ob siccitatem salis eò protrusi. Frequenter apparent in cruribus: quod in illa gravitate sua facilè se insinuet humor, ubi deinde incalescens efflorescit per summa: interdum tamen etiam in dorso, & brachiis: circa pectus, in collo, & in facie: interdum circa præputium incipiunt, & postea totum corpus inquinant: ac si malum pejus fiat, sæpè in totas tibias unica macula nigra diffunditur tetra, & aspectu horrenda cum tumore ad Elephantiasin accedente: *Sennertus l. c. §. 10. Salomon Albertus l. c. th.* 53. 118. *201. M. Martin. l. c. th. 295.* Eædem & interdum evanescunt morituris: introrsum vergentibus humoribus per venas ad cor, eidem succursuris: & rursum post mortem efflorescunt: anima enim ablata humores à calore præternaturali agitati huc illuc moventur, & ob tenuitatem ad cutem perveniunt, ibique hærent: quod & iis, qui insigni ac vehementiori aliquo veneno sublati sunt, accidere solet. *Sennertus lib. de febr. 4. cap.* 4. *pag 419.* Maculas autem has non rarò præcedunt dolores mordicantes, quos sæpè post triduũ sequuntur vestigia talia suggillatorum, quæ vocantur die Nachtgriffe/ sæpè enim 4. sæpè 5. digitorũ per longitudinẽ ventris, femoris, aut brachiorum, ductorum vestigia apparẽt: iis verò prodeuntibus, cessant dolores, *vid. sup. thes. 42.* Membrorum Tristis Jactatio, & Concussio, cum levi resolutione conjuncta, constans ex paralysi, & convulsivo motu. *M. Martini th.*43. Memoriæ Læsio, ea tamen interpolata magis, quã continua, & ex nulla manifesta caussa procedens. *Sennert. l. c.* §. *31. M. Martini th.* 34. Menses albi, salsi, & acres in mulieribus: quibus viri facilè inficiuntur: Et in mu-

lieribus menſes ſubſiſtunt ſangvinei. *Sennert, l.c.* §. 44. MORPHÆA ALBA circa brachia, & extrema manuum. *Eugalen. obſ. 1. pag. 231.*

50. OCULORUM INTUMESCENTIA AC DENSA PER INTERVALLA CALIGO, *M. Martin. th.* 36. IN OCULIS SUB PALPEBRIS CARO LUXURIANS, & creſcens, ſangvinis colore, oculi albo, icteri faciem, palpebris verò iridis colorem referentibus, ex cœruleo, puniceo, & flavo mixtum, *Sennert. l.c. §.* 5. ODOR gravis corporis, præcipuè ſudantibus, *Sennert. l.c.* §. 47. ORIS quoque FOETOR & anhelitus, putredinis, & corruptelæ non indubius augur adeſt. *Salom. Albert. th.* 109. EJUSDEM MOLESTA SICCITAS cum modica potus appetentia. *Matth. Martin. th.* 36. Provenit hæc ſiccitas à vaporibus ſalinis per œſophagum & aſperam arteriam aſcendentibus, palatum, lingvam & os exſiccantibus.

51. PARALYSIS quædam, in qua plerunque non omnimoda prorſus accidit motus ablatio, nec ſenſus planè abolitus, ſed reſoluta membra adhuc moveri aliquatenus, & ad muſculorum capita leviter attrahi poſſunt. *Eugalen. pag.* 95. eique interdum dolor, & Arthritis conjungitur. *Idem pag.* 99. *Sennertus l. c.* §. 22. *Sal. Albert. l. c. th.* 117. & 294. *M. Martini diſp. c. th.* 44. nec uni tantum membro accidit, ſed vel totum corpus, vel alterutrum latus, vel crura, vel brachia, vel digiti extremi ſolummodo reſolvuntur: Præcedere autem ſolet hanc vel Colica: vel tumores quavis parte erumpentes, qui eadem facilitate, qua oriũtur, evaneſcunt, & cum ortus ſui principio levem & momentaneam paralyſin efficiunt, *Sennert. l.c.* §. 22. Vel etiam tremorem antecedere obſervavit *Eugalenus pag.* 219. Eſtque paralyſis tam macilentis, quam obeſis in hoc morbo familiaris, qui duriorem ob vitam mœſticiæ terminum, ac modum ſtatuere nequeunt. *M. Mart. th.* 115. non autem à nervis læſis fit, ſed quando effuſus in omnes, vel aliquos artuum muſculos humor ſcorbuticus & ſeroſus eoſdem diutius irrigat, ut tendinibus laxatis partis attractio fieri nequeat: idque indicat 1. dolor muſculorum, & concomitans quandoq; arthritis. 2. momentaneorum tumorum eruptio prævia. 3. & quæ

quæ ſubſequitur modò hujus, modò illius membri ſive contractio, ſive convulſio. 4, δηλοῖ ἡ ἴασις. Nam in hac Paralyſi non ſpinæ, ſed artubus remedia applicantur cum fructu. Cur eadem Paralyſis ſcorbutica ſit adeò momentanea, cauſſa eſt, non quemadmodum *Eugalen. pag*, 96. vult, quod per conſenſum nervorum oriatur, cum veterum paralyſis à propria, & primaria nervorum affectione procedat: ſed potius mobilitas ſeri ſcorbutici, ob quam facilius ex ſubſtantia muſculorũ retrudi in venas, & ſic circulari poteſt; cum contra veterum paralyſis fiat à craſſo, & contumaci humore. Peritonæi Ruptura orta ob diuturnas ventris lancinationes, ac circa ventriculum labores *Eugalenus p. 86. Sennertus l.c.* §. 14. *M. Mart. th.* 116. Phthisis ab exulceratione pulmonum orta *Salom. Albertus l. c. th.* 145. *M. Mart. th.* 115. *Gregorius Horſtius obſ. tom.* 1. *lib.* 3. *obſ.* 15. Polypum etiam ſe vidiſſe cum ſcorbuto conjunctum narrat *Horſtius obſ. tom.* 1. *l.* 3. *obſ.* 15. qui poſtea malè curatus non ſolum narium, ſed etiam fauciũ interiora, atq; ipsã uvulam exulceravit, & abſumſit: poſtea ex deſtillationibus acribus ab illis partibus ad pulmones delabentibus phthiſis lethalis ſubſecuta eſt. Pulsus eſt varius, nunc debilis, & inæqualis, ac ſæpè vermicularis, ut repere magis, quam pulſare videatur; cum nihilominus obambulando omnia domi, & intra parietes officia æger obeat. *Eugalenus obſ.* 35. *Sennertus l. c.* §. 12. nunc magnus durus & ſerratilis, abſque inflammatione membranarum oſſibus adjacentium. Imò mirandum venit in ſcorbuto, quod in animi deliquiis imminentibus, & ſummis illis anguſtiis pulſus major, ac fortior ſit, validiusq; feriat digitos, quam reliquo morbi tempore, aut ubi deliquium ceſſat. *Sennertus ibid.*

52. Circa renes inflammationis ſenſus quandoque apparet, perpetuo ardore affligens, ſub noctem autem, & hora ſomni corpus univerſum flatibus, diſtenſionibus, evaporationibus caput indidem ferientibus mirificè depravans *Eugalenus pag.* 82. Respirandi difficultas qua ex univerſa accidentiũ grege, morbũ hunc concomitantiũ, nil vulgatius eſt, ita ut plurimi animo tandẽ delinquant, *Sennertus l. c.* §.

8. *Salomon Albertus d. l. th. 82. M. Martini th. 24. 65. 243.* Plurimi hic vapores ab inferioribus ad thoracis musculos ascendentes accusant: multi pravos humores in hypochondriis, seu in cavitate illa ab Hieronymo Fabricio ab Aquapendente descripta collectos, & diaphragma comprimentes: mihi arridet, dyspnæam hanc oriti, quando cor à pravis illis humoribus ebullientibus affligitur, ejusque motus quodammodo impeditur: humores vero tales non tantum cor opprimunt, sed simul ventriculum distendunt, unde ægrotorum angustia, & quod digito quasi commonstrant præcordia sibi coangustari. RUCTUS perpetui ftequenter etiam adsunt: *Eugalenus obs. 1. Sennertus l. c. §. 36.*

53. SCABIES *Sennertus l. c. §. 5.* SEMEN AQUOSUM & vitiosum in viris, unde ad generandum inepti redduntur. *Idem ibid. §. 44.* SITIS molesta: qua tamen molestati parum bibunt, cum potu copiosiore offendantur, & humor scorbuticus salsusq; magis irritetur. *Eugalenus obs. 47. 50. 64.* Certissimum hoc scorbuti indicium est, si putrefactionis quas urina habet, notis non respondeat sitis: maxime si obambulantibus, & omnia vitæ munia sine offensione administrantibus tales urinæ reddantur. Sitis autem rarior est, quod multum seri, seu aquei humoris cum putredine scorbutica conjunctum sit plerunque, quo temperatur ventriculi calor. *Conring. disp. de scorb. th. 31.* SONITUS exactissimi, & manifesti ad quosvis articulorum motus, & inflexiones: ac si digiti comprimerentur: vel quales ex confractis ossibus, aut nucibus evenire solent. *Sennertus l. c. §. 5.* SOPOR PROFUNDUS, plerunque cum febri lenta continua, nonnunquam etiam intermittente: quo adeò opprimuntur, ut nullis vellicationibus & clamoribus excitari queant. *Sennertus l. c. 8. §. 9. M. Martini th. 35. 239.* adeoque frequenter comitatur carus scorbutum, ut apud Belgas vulgus hunc ipsum caussam efficientem scorbuti statuat: *Eugalenus pag. 202.* Ego quum circa generationem somni nec Aristoteli, nec Galeno assentiri possim, sed statuam, somnum fieri, quando cor ligatur quasi,

ſi, & debiliter quodammodo movetur, nec ita promtè ſangvinem ad partes exteriores, & ſuperiores, cerebrumque propellit: (ſive id fiat, quod cor motu continuo debilitatum quietem optet: ſive quod obliniatur dulci ſono quiete, tenebris, & aliis oblectamentis: ſive quod à multis vaporibus ſangvini miſtis, aut craſſo aliquo, & frigido humore, qualitateve narcotica prædito obruatur quaſi, & torpeat) tunc etenim ob langvidiorem hanc cordis expulſionem ſangvis redditur torpidior, & in venis quodammodo ſubſiſtit: Unde ſenſus quaſi ligantur, nec ſpecies ad ſenſum communem in corde reſidentem deferuntur: In ſcorbuto cari cauſſam pono copioſius ſerum in venis jugularibus ſubſiſtens & cor obruens: SPUTATIO, ET SALIVATIO CONTINUA: ſputum verò illud interdum inſipidum, tenue, ac ſpumeum, quandoq; ſalſum, aut fœtidum, ſemper tamen aqueum eſt, ex putridis & corruptis humoribus promanans: non raro cruentum *Sennertus l. c. cap. 5. §. 38. M. Martini th. 47. 257.* Citra oris exulcerationem etiam aliquando hęc ſalivatio apparet: quandoque & cum eadem, ac non ſine gargareonis diſcrimine, conjuncta. *Idem ibid.* Notandum hic, quare tam copioſa aqua ſali ſcorbutico conjuncta ſit: fruſtra enim hic accuſant quidam lienem, cujus vitio proveniat: ſive enim regurgitare ex liene ad ventriculum humorem aqueum dicant: ſive lienem ob frigiditatem non atttahere aquoſum chylum: nil tamen firmi afferunt: cum rationes non ſat ſtabiles hactenus prolatæ, quæ lienem aquam attrahere demonſtrent: Alii hanc collectionis ſeri cauſſam afferunt; quod frequenti ſalſorum uſu interanea ſicceſcant, indurentur, adeoque obturentur meatus venarum, & calefiant. At venis obturatis, & calefactis interaneis difficillime primo quicquid humidi aſſumitur, in veſicam abire, aut alvum, ſed in prima corporis regione præ calore, ac ſiccitate vaſorum ſubſiſtere, & paulatim ſtagnare; donec poſtea ſal liquescat in aqua, & cum ſangvine moveatur. Verum nec hi ſatisfaciunt. 1. non ſemper enim ſubſiſtit ſal in abdomine, ſed ſtatim cum ſangvine per totum corpus fertur, quod inde deduco, quia quando cumu-

la-

latur in infimo ventre, gravitas abdominis adest, quę tamen non in omnibus scorbuticis percipitur. 2. calor sentiretur in hypochondriis & abdomine. 3. non semper alvus supprimitur, & urina. 4. non in omnibus scorbuticis copiosi humores aquei sunt, sed quādoq; in sangvine crasso delitescit sal scorbuticū: id quod ex superioribus patet. Itaque dico copiosum hunc humorem aqueum generari à frigiditate ventriculi cibos corrumpentis, & in eandem substantiam frigidam mutantis: Idem & vult *Sennertus l. 3. prax. pag. 519.* ubi de hypochondriacis dicit: *Cibos malè concoquunt, & non in chylum bonum sed in materiam nunc aqueam, acidam, acerbam, ponticam, nūc viscidam mutant, quæ cū in halitus, spiritusq; resolvi nequeat, in ventriculo hæret, & sursum repit, lingvamq;, ac os saliva ac humiditate aquea copiosa replet, ut continuò ægri salivam & pituitam exspuere cogantur.* Unde etiam huic malo non aliter potest occurri, quam ventriculi frigiditate emendata, & correcto errore externo. Et hinc plerunque scorbuticorum sanguis tam tenuis, & ichorosus est; licet non semper, sed prout variè afficitur à sale scorbutico ventriculus: SQUAMMÆ interdum maculas sequūtur, quæ à reliqua cute non secus ac in Erysipelate separantur. *Salomon Albertus th. 219.* STRANGULATIONIS METUS, adeò ut inprimis cibum sumturi de obstructione ventriculi ad os usque instar pali, totum œsophagi meatum obserante, & suffocationem minante conquerantur. *Sennertus l. c. §. 30.* Convulsionem gulæ ortam ab acribus vaporibus, & flatibus, fibras ejusdem distendentibus, ut ita contrahant sese & simul œsophagū: vel humores stipticos gulam constringentes, hujus caussam statuimus: à qua facilè malum communicatur tracheæ: quale quid in Hydrophobia quoq; fieri *Cæsalpinus l. 3. art. c. 34. Josephus de aromatariis observavere. Conring. disp. de scorb. th. 31.* Et esse hanc suffocationem cruditatis ventriculi signum *Eugalenus obs. 41* testatur: cum in cruditate ventriculi facilè flatus acres gignantur, convulsionis caussæ. STUPOR quidam momentaneus, nunc remittens, nunc subitò apprehendens: paralyseos anteambulo. SUDOR COPIOSUS, qui etiam media hyeme sub

le-

leviſſimis tegumentis erumpit: plerunq; pediſſequa eſt atrophia. *Sennertus l. c.* §.21. imo eodem copioſius profluente una cum lenta febre nō rarò maſſa ſangvinea glutinis in modum inſpiſſatur, qua etiam ſpiſſitudine & pravitate tendines muſculorum ſæpè adeò contrahuntur, ut cibum taliter affecti ab aliis petere cogantur. *Eugalenus p.212. M. Martini th.262.*

54. TALI AD POPLITEM RETRACTIO *Eugalen. obſ. 16. & p. 94.* TABES DORSALIS ſequitur quandoque lumbaginem. *Ronſeus ep.4. de ſcorbuto.* TREMOR interdum paralyſin antecedit, interdum ſcorbuticis ſolum adeſt, ſubinde, & per intervalla recurrens. *Eugalen. p.219. Sennertus l. c.* §.23. TRISTICIA & mœror, *Sennertus l. c.* §.29. TUMORES; hi non ſunt uniusmodi: ſed alii quidem momentanei, ſcorbuticæ paralyſeos anteambulones, quibus & facies interdum intumeſcit, à tenui & mobili orti ſero: alii quaſi œdemate corripiunt pedes: alii verò duri, renitētes, nec niſi moto corpore dolentes, venereis non abſimiles, niſi quod Gallici pingve quid contineant: alii deniq; duri, ſubrubri, aut nigri, cruſtoſi, in ingvine, crurib9q; erumpentes ad inſtar peſtilentium bubonum. Et hi quidem ultimi tumores oriuntur ex ſicca potius materia, quam humida: ideoq; nec pus concipiunt, nec ita facilè, ut reliqui, detumeſcunt, nim. interdum humidum cū ſalſo illo terreo conjunctum vel diſſipatur, vel rurſus in venas abit, manente ſicco terreo. *Conring. diſp. de ſcorb. th.25.* Elevantur autem ut dictum, in *facie*: in qua interdum, ut & magna cervicis parte exoritur ingens, & ad Elephantiaſin accedens tumor ſubjectas carnes exulcerans, *M. Mart. th.51. pedibus, ingvine, & glandulosis corporis partibus: Sennertus l. c.* §.57. Non rarò tumores quaſi natibus ſibi invicem impoſitis annaſcuntur, vel quaſi monticulis ſuper alios aſſurgunt, qui nonnunquam mediis inter monticulos partibus, profundis exulcerationibus eroduntur, & magno fœtore exulcerantur. *Sennertus l. c.* §.59. *M. Martini th.289.* TUSSIS qua tamen nihil vel parum rejicitur, ſicca utplurimum; *M. Mart. th.253.*

55. VARICES non ſolum in pedibus, ſed & in inferiori labro. *Salom. Albertus diſp. de ſcorb. th.93.* interdum & minu-

tissimæ venæ sub lingva varicibus simillimę apparent, *Echtius de scorbuto, de signis*: quod & Elephantiacis obvenire tradit *Sennertus l.5. pr. pag.102.* VERRUCÆ in ventre primum, dehinc in reliquo corpore copiosè erumpentes. *M. Martini th.57.* VESICÆ toto corpore, & qualibet ejus parte extuberantes, quas Belgæ dat Bouckwatter appellant: quod appareant cum totius corporis, maximè verò ventris & crurium inflatione *Eugalen. obs.20.* Latinis etiam HYDROPS VESICALIS dicuntur. Illis potissimum erumpere solet, qui victus ratione usi sunt minus crassa, humoresq; tenues & aquosos cum multis flatibus cumularunt: priusquam verò oriuntur, alia, atque alia pars momentaneo tumore & inflatione attollitur. *Eugalenus p.155. Sennertus l.c.§.59.* In initio enim serũ elevat tantum cutim, tumoresq; excitat: postea sæpè recedens acrimonia sua eandem erodit, vesicæq; prodeunt: præcedunt etiã alia symptomata scorbuticis familiaria: ut frequens vomendi conatus, alvi dejectiones variæ: langvor sine caussa manifesta, & alia. *Idem p. 157. obs.20.* VIGILIÆ *Sennert. l.c.§.28.* ULCERA crurum sicca ferè & neq; pus, neq; saniem ex se effundentia: eosq; magis infestantia, qui temperamento biliioso sunt: maligna sunt, & interdum ita gangrænosa fiunt, ut ne quidem ferrum inflictum, vel admotum pyroticum sentiant. Imò ex tali ulcere crustoso sæpè mortificatio totius cruris advenit: nisi maturè crusta à reliquo ulcere separetur. *Senner. l.c.§.60. Conring. disp. de scorb. th.22.* Cur sicca sint talia ulcera, patet ex superioribus: nim. cũ quod aquosum in ichore vel dissipetur, vel in venas recedat, relicto salso terreo: tum quod sal ipsum quo abundat humor scorbuticus, exsiccet, ergò neq; pus concipiunt ulcera præ siccitate, quodq; calor non possit vincere, ac cõcoquere tam excellentem salsedinem. Perforantur autem partes corporis sicca tali exulceratione, non secus ac si majoris acidulæ capite vi carnes perforares, neq; pus, neq; saniem à se demittente. *Eugalen. p.222.* Et primo quidem apparent maculæ, deinde summo pede ulcus, deniq; gangræna totius cruris sequitur. *Eugalen. pag.172.* Quandoque & alias partes corporis ulcera hæc invadunt: sic idem *p.176.* observavit ulcus scorbuticum, quod

quod cum tumore ingenti ad Elephantiasin accedēte, præter dimidiam faciem, & magnam cervicis partem nasum, & labia occupabat: ut & lingvæ, palati, gargareonis exulcerationem, quâ partes illæ contabescebant, & dentes procidebant *obs. 62.* Interdum penis eroditur, dum nim. per ipsum unà cum serosa sangvinis portione sanies emittitur, teneram ejus carnem corrumpens, atque membrum exulcerationi reddens obnoxium. *Id. p. 221. Senn. l. c. §. 60.* VOLARUM in manibus insolita rubedo cum dolore & impetigine pruriginosa: naturâ serum effervescens eò protrudente. *M. Martin. thes. 45.* VOMITUS; adeò ut interdum humores, ut in cholera, supra & infra dejiciantur, cum variis doloribus, & torminibus. *Eugal. p. 22.* Interdū tamen inanis tantum est vomendi conatus, quo vel nihil ejicitur, vel si quid ejiciatur, parū, aut nō nisi aqueū quid est, *Idem obs. 43.* Et hoc fit ab humore salso & acri eò delapso, & ventriculum irritante ad subversionem: argumento est, quod lacticiniorum usu emendetur hæc nausea: *Conr. disp. de sc. th. 31.* Recurrunt a. vomitus per intervalla, ex nulla manifesta ventriculi affectione incipientes, adeò ut ægri antea quemlibet cibum durissimum facilè concoxerint, eumq; avidiùs comederint. *Eugalen. p. 23. Senn. l. c. § 37. M. Mart. th. 66. & 254.* Mirādum quoq; venit, id quod *Senner. l. 3. prax. pag. 520.* de hypochondriacis dicit, & ego in quodam scorbutico ipsemet observavi: ægros, licet sæpè statim post cibū, vel medicamētum sumtum evomant: nihil tamen de cibo vel potu vel medicamento reddunt, sed tantum vel aqueum, vel pituitosum humorem. URINÆ tantū valent ad demonstrandū scorbutū, ut *Eugal. p. 32.* solam urinam in cognitionem ejus se deduxisse fateatur: nō sunt a. unius generis, sed pro ægri corporis cōstitutione, & prout humor scorbuticus varias subit mutationes, variæ; In initio quidem, & ubi levior humorū putredo, corruptelaq;: nunc tenues, & citrinæ; nūc crassæ, & albæ sunt: postea v. corruptione humorū aucta, claræ quidē sunt, verum intensæ, ad fuscumq; declinantis rubedinis: & cū splendore quodam instar lixivii claræ: quibuscum si nulla, aut exigui momēti sitis cōjuncta sit, quæq; putrefactionis notis in urina

 ap-

apparentibus non respondeat, certissimũ, ut sup. dictũ, scorbuti indiciũ, imprimis ægris etiã hinc inde obambulantibus, & consveta munia obeuntibus: tales autem sunt urinæ, quãdo seorsim sal suum deponit malignitas scorbutica: frequẽter tamen crassæ apparẽt urinæ, rubræ, & vel turbidæ mingũtur, vel statim turbantur, quæ aut tales permanẽt, aut crassum, & rubrũ sedimentũ, quod farinam laterum refert, ad fundũ deponunt, clarescuntq;. Sæpè etiã multa cruda, & pituitosa excrementa supra istud sedimentũ q. suspensa hærent, eidem tamẽ non permiscentur, atq; ita totã urinæ partem superiorẽ turbidã reddunt. Et tales urinæ significant malignã effervescentiam, & perturbationẽ humorũ: maximũ etiam facultatũ naturalium langvorẽ, homogenea ab heterogeneis sequestrare, eisq; dominari haud valentiũ: Aliquando etiã crassa, & alba est, quæ statim conturbatur, & licet sæpè plura corpora rotunda, & alba, arenarũ instar, vel fractæ polentæ similia subsideant, quæ à fundo matulæ non nisi fortiore matulæ motu elevantur: clarior tamen urina non fit, sed turbida permanet, substantia sua crassa matulæ parietibus sæpè adhærens: & nec à catharticis, nec attenuãtibus clarescit, & attenuatur, sed magis conturbatur. Scilicet rapitur simul in vesicam, quicquid crudioris latet saburræ, unde tam vario sedimento turbantur urinæ. Neq; enim fieri aliter potest, quin paulatim subsideat in mesenterio, colligaturq; tractu temporis salsarum arenarũ copia. Possunt a. hæ arenæ diu latere. & tunc urinæ tenues: ast ubi moventur, turbari urinam necesse est. & hæc caussa est, cur catharticorũ, & attenuantiũ usu non clarescãt scorbuticæ urinæ, sed magis magisq; cõturbentur. *Conring. disp. de scorb. th. 33.* Interdum tamẽ, quando urinæ tenues excernũtur, ægroti pessimè se habẽt. subsequente v. postea turbida, melius: quod videl. humoribus valdè perturbatis, & fermentatis, partes crassiores & inutiles nondum separari queant. coctione v. seu fermentatione absoluta, craßũ illud rejiciatur. Sabulosa ista materia interdũ quidẽ à renũ caliditate provenit: interdũ tamẽ in venis sal hoc crassum sangvini cõmistũ delitescere potest, quod postea continuò per urinã redditur sine ulla cal-

cu-

culi molestia. Eorum, qui negligentius vixere, vel curis anguntur, urinæ crassæ, nigræ, turbidæ, quæ vel tales permanẽt, vel turbidum, ac nigrũ sedimentũ in fundum deponunt *Eug. p.* 34. 35. 36. Nigredo hæc est indiciũ corrupti salis sangvini cõmisti: humores n. nigri nil aliud sunt quam sangvis & bilis corrupta. Frequenter etiam variant urinæ, & in ægro eodem sine caussa aliqua evidenti permutantur: hodiè turbidæ, ac crassæ, postridie aqueæ & tenues; hinc rursum citrinæ, aureæ, rubræ, aut crassæ redduntur: prout variè moventur, & ebulliunt, vel quiescunt humores *Eugalenus obs.* 49. 50. 54. 56. 57. 59. 63. 65. Sæpè etiam sanorum similes sunt: Interdũ fœtidæ: *vide Sennertum* §. 11. *M. Martini th.* 60. Deniq; ex UTERO EFFLUXUS putridæ & putidæ materiæ fit. *Sennert. l. c.* §. 5.

56. Atqui hi sunt morbi, & symptomata, scorbuti comites ut plurimum, vel pedissequæ, quæ recensere voluimus, quod profundè sint examinanda à quovis Medicorum, ut morbi indoles rectius, & maturius percipiatur, singulaq; ad curationem facientia præscribantur, ne gravioris mali mores induat: adeo enim exigua & neglecta sunt hujus morbi incunabula, tamq; lenti ipsius progressus, ut sic affecti parum à sanis absint, quæ negligenter habita vires eundo tantoperè acquirunt, ut non sine vitæ discrimine affligant ad longè pejora viam parantia.

57. Horum autem omnium unam esse caussam posse, mirari desines si consideraveris. 1. Propriam & specificam humoris scorbutici malignitatem; idem enim videmus in aliis occultis morbis, ut peste, Lue Gallica 2. Naturam illius salis, qui modo in aqua seu sero liquescit: modo iterum præcipitur, & in tartareum lapidem concrescit: modò etiam in infimo ventre subsistit, serosis humoribus per corpus distributis; idque fit in initio præcipuè: unde tunc nil nisi lassitudo, gravitas, difficilis respiratio, apparent: modo humoribus reliquis commiscetur: & tunc dolores excitantur: modo etiam plurimum, modò parum salis per mistum: 3. quã multæ etiam sint salium species in aprico est: hi cum variè etiam misceantur, multis itidem modis in corpore humano

corrumpantur, non mirum inde varia ſymptomatum genera oriri. 4. Et demum locorum in quibus commoratur humor ſcorbuticus, diverſitatem. Quanquam libere etiam profiteamur, quandoque morbos hos non omnes dependere à ſcorbutico inquinamento, ſed potius ſcorbutum cum iis coincidere, & concurrere, hocque vel in initio eorum, vel medio, vel declinatione, & fine fit: prout nimirum hoc vel illo tempore primum ſeſe exſerit, aut virus ſuum oſtendit. *Eugalenus obſ. 32.*

58. Itaque cum tam vario induatur ſchemate ſcorbutus, cautè & circumſpectè ei omnia agenda, qui ſe ad prognoſticon inſtituendum accingit: neque una tantum, ſed omnes regentes noſtrum corpus facultates ſimul conſiderandæ, & inter ſe conferendæ: ſi quæ debilior aliquod mali præſagium oſtendat, diligenter perpendendum & examinandum, num illi quoque reliquarum facultatum actiones conſentiant. Sæpe enim ex morbi proprietate quædam noſtræ facultates afficiuntur, unde non tam debilitas earum, quam morbi proprietas deſignatur. *Eugalenus pag. 314.* Deſumi vero poſſunt προγνώσεως ſigna 1. à morbi præſentis ſpecie. 2. cauſſis. 3. Symptomatibus.

59. SPECIEM MORBI quod concernit, ſcorbutus ratione nobilitatis, & neceſſitatis partium affectarum, eſt morbus magnus, cujus eventus eſt admodum periculoſus, & dubius. In initio quidem facile expellitur, cum nim. vitium in humoribus tantum conſiſtit, nulla prava aliqua diſpoſitione viſceribus impreſſa: tum enim ſæpe ſola victus ratio conveniens, aut aêris permutatio ſufficiunt. Radices vero ubi egerit, diuturnum malum eſt, & accuratam, diligentemque requirit curationem, cum vix unquam radicitus exſtirpetur: & licet quandoque ſolenni evacuatione, vel alia de cauſſa Symptomata demulceantur, perpetuo langvore tamen contabeſcũt ægri: quandoque aliis, atque aliis ſymptomatibus diu afflicti improviſò vita funguntur: ſæpè etiam recurrit ſcorbutus, vel ſingulis annis, vel longiore intervallo, pro victus ratione, & aliis circumſtantiis, nunc iiſdem, nunc aliis conſtipatus

ſym-

ſymptomatibus: Virique cum eo ſæpe in annum nonum, decimum, vel plures: fœminæ in vigeſimum, vel plures vitam protrahunt. *Sennertus l. c. cap. 6. prop.* 3.

60. CAUSSARUM ratione habita, ſcorbutus in aliis regionibus magis minusve ſævit, ſicut in locis illis maritimis vehementiora ejus conſpiciuntur ſymptomata, quam alibi. Eſt enim alibi Endemius: alibi ſparſus, interdum etiam Epidemius. Endemius eſt iis in locis, ubi non ſolum victus ratione, ſed & aêre, & aqua ſalſa utuntur incolæ: Epidemius quando ex occaſione interdum omnes aut plerique nutriuntur tali cibo, aut alioquin alias ſcorbutici humoris cauſſas incurrunt: aut malignitas ſummum gradum corruptionis attingit, ita ut maxima vi per contagium inficiendi polleat: Sporadicus eſt alibi terrarum, ita ut nulla ferè terra ſit, quæ non ſuum aliquem ſcorbuticum habeat. *Vid. Conring. diſp. de ſcorb. th.* 51.

61. Circa vernum, & autumnale tempus magis exacerbatur: hieme vero difficilis ejus curatio. *Eugalen. pag.* 90. Ii etiam qui in otio vivunt, magis ſcorbuto obnoxii ſunt, quam qui laboribus exercentur: Viris fœminæ: imprimis ſteriles, & quibus purgamenta mẽſtrua vel defectu naturæ, aut diuturni mœroris perſeverantia ſubſtitere, aut quæ inſufficienter à partu ſunt expurgatæ: Urbani, agricolis: periculoſius quoque laborant ſcorbuto viri juvenibus, *Sennertus d. l. cap. 6. progn.* 10. ſcorbutus hæreditarius nunquam perfectè curatur: quibus enim patruus & inquilinus eſt, in iis, quò magis increbreſcit, eò malignior ingraveſcendo evadit, adeò ut non raro inevitabili pravitate in omnem vitam perduret. *M. Martini th.* 92. Febres tertianæ, quæ tempore verno incipiunt, & poſt ſeptimum paroxyſmum quotidiè infeſtant, maxima ex parte ſunt diuturnæ, & tandem in ſcorbutum abeunt *Senn. l. c. cap. 8. §. 8.* ſicut & quartanæ non raro ſcorbutum præcedunt, aut in ejusdem declinatione apparent. *Matth. Martini th.* 110.

62. Quoad SYMPTOMATA ſigna prognoſtica poſſunt eſſe vel ad ſalutem, vel ad mortem. Sic ex pulſu debili & valde

de langvido non ſtatim mors prædicenda, cum non morbi lethalis, ſed peculiari ratione cordi adverſantis ſit indicium. In quibus natura fortior morbi vehementiam evincit, hi manente morbi radice, nunquam ſatis confirmati, frequenter perpetuo langvore quaſi contabeſcunt, aliis, atque aliis ſymptomatibus ſubinde infeſtati, donec vel in hydropem, vel atrophiam, vel aliud malum conjecti moriantur. *Eugal. p. 73.* præcipuè verò in hydropem incidunt ſcorbutici, ſi ſæpe catharticis fortioribus uſi fuerint *Senn. l. c. cap. 6. prog. 6.* ſi reſpirationis difficultas, & pectoris anguſtia diutius durent, ægri ſæpè ſyncope ſubitò pereunt. *Eug. obſ. 38.* Ulcera ſcorbuticorũ aperta, quæ maculæ nigræ, & lividæ præceſſere, difficulter ſanantur, cum ab his totum corpus non raro gangręna corripiatur *Senn. l. c. §. 6.* Quibus tormina ventris, & circa umbilicum contorſiones continuæ adſunt, raro evadũt, modo alia quoq; ſigna prava ſeſe adjunxerint. *Senn. ib. pr. 11.* Si livor partē oris ſuperiorem, & palati penitiora apprehenderit, lethale. *Senn. ib. p. 15.* In ſcorbuto jam inveterato lividæ maculæ in cruribus modò deliteſcentes, modò confertim erumpentes, mortis inſtantis indiciũ: Significant enim, ut Rulandus habet *de Lue Ungarica cap. 4. pag. 57. & 61.* malignitatem altius impreſſam, ſangvineam maſſam planè corruptam, & calore deſtitutam: dubiumque naturæ cum morbo conflictum. *Sennertus ibid. pr. 23.* verendumque, ne humor refluxu ſuo in partem impingat principem, in eoq; pedem figens exitium moliatur, *M. Mart. th. 100.* Maculæ hæ ſi in ulcera degeneraverint, tunc inducto ſtupore ſenſum partis obtundunt, ac penè abolent. *Salomon Albertus th. 161.*

63. Sudores frequentes in ſcorbuto ſemper ferè atrophia ſequitur. Etenim frequenti acris ſeri alliſu intemperies corporis habitui calida & ſicca inducitur, ut non poſſit nutriri. Scorbutus in febribus exortus contagioſus eſt, & ut plurimum lethalis. Terminatur enim in pernitioſam dyſenteriam, adimitque hominem repentino animi deliquio. *Ioel. tom. 2. pr. l. 2. ſect. 5. pag. 231.* Pueri ſtomacace crebrius, ſcelotyrbe rarius laborant. Vomitus, & graves ſurſum, deorſumq;

ex-

excretiones parum prosunt ægris, sed potius ventris, intestinorumque lancinationibus ægrotum conficiunt. *Eugalenus pag.* 22. Febres scorbuticæ non prius tolluntur, quam scorbuto contraitum fuerit. In febribus hujus morbi intermittentibus, quandoque convulsivi motus, carus, singulis paroxysmorum initiis accidunt, qui tamen postea remittunt. *Eugalen. pag*, 66. & 67. Febres continuæ scorbuticæ, si purgantibus initio fortioribus, aut crasso potu, aut medicaminum calidiorum usu exasperentur, & irritentur, plurimos subito deliquio, & suffocatione enecant, & exstingvunt. Tumores œdematosi pedum in hoc affectu diuturniores sunt, & non sine negotio ob humorum à fonte caloris distantiam discutiuntur. Relliqua prognostica quivis facilè ex iis, quæ de signis dicta sunt, eliget.

64. Nunc enim positis jam, quæ ad cognitionem morbi spectant, ad ipsam curationem progredimur. Cum verò tanta morborum ac symptomatum scorbuticorum multitudo, ac varietas sit, quæ morbi naturam induentia suam quævis curandi postulant rationem: patet tutissimam, commodissimamque sanandi viam esse, si caussæ & dispositio illa maligna tollantur è medio, nec tam ad symptomata, quàm ad fontem malorum omnium attendatur. Evenit sanè alioqui, quod Herculi olim Lernææ hydræ capita amputanti, quam unico in cor ictu confodere potuisset. *Conring. disp. de scorb. th.* 53. Quapropter cum scorbutus διάθεσις maligna quædam sit, & Cachexia ab humore crudo, salso, & peculiari modo corrupto profecta: humor verò ille partim externarum, partim internarum caussarum interventu colligatur: principio quidem collectionis caussæ removendæ sunt: id quod fit diæta optimè instituta: de qua nos in fine: deinde quod collectum est humoris salsi, & vitiosi educendum & dispositio scorbutica visceribus, & toti corpori impressa per contraria specifica emendanda: quod si humor scorbuticus crassus sit, vel crudis, & crassis humoribus permistus, illi ipsi præparandi, atque obstructiones, si quæ sunt, aperiendæ:

Tandem ſymptomata ſcorbuto conjuncta, ſi urgeant, inhibenda: viſceraq; labefactata, roboranda.

65. Indicationibus hiſce ſatisfit. 1. Ex FONTE CHIRURGICO: & quidem aptiſſimè, ſi vel ipſa natura HÆMORRHOIDES aperiat: vel arte eædem provocentur: non paucos enim novimus, ait *Ronſeus de ſcorb. ep. 2.* quos profuſio ſangvinis ex hæmorrhoidibus ab hac ſæviſſima lue præſervarit: *vid. Conring. diſp. de ſcorb. th. 56.*

66. Huc quoque referri poſſe videtur MENSIUM SUPPRESSORUM PROVOCATIO. Non tantùm enim effluxiones iſtæ cavent, quo minus ex retentis mẽſibus cumuletur humor ſcorbuticus: verum etiam cumprimis ſaburra infimi ventris per uterum non rarò evacuatur *Conring. diſp. de ſc. th. 56.*

67. Quod ſi hæmorrhoides commodè evacuari nequeant, & tamen corpus ſucciplenum ſit, aut ex ſuppreſſa aliqua conſveta evacuatione, oppreſſio vel ſuffocatio formidabilis: aut præcordia intus vehementer æſtuaverint: Venæſectio adhiberi poteſt; quam etſi per ſe non convenire rectè quidam arbitrentur: 1. Quia ſimul id, quod ſani ſupereſt, ſangvinis ſubducitur corpori, quo tamen vita pariter, ac valetudo conſervatur. 2. Si largè patiaris ſangvinem fluere, fiet illud maximum malum, quod jam metuimus, ut naturæ corruant vires, quod ſi verò parum emittas, absque fructu fuerit, eò quod in profundis lateat iſte humor imi ventris, inque reliquis partibus omnibus cacochymia inveniatur. 3. Quod ne quidem ſi plenitudo affuerit, conferat: neque enim illam copiam eſſe à bono ſangvine, ſed à malo ob defectum boni. Mali autem ſangvinis eductionem cum diminutione pauci boni inſtituere nemo prudens ſvaſerit, præſertim cùm id longè commodius, citraque hanc queat noxam fieri. 4. Quod in hiſce locis frigidioribus haud magnum aliquod ab ejuscemodi plenitudine ſit periculum, ut aliarum evacuationũ temporanõ poſſint exſpectari. 5. Ab experientia: quod plurimi, atteſtantibus id Medicis, ſanati ſint ſcorbutici ſine phlebotomia: imò largiorem ſangvinis fluxum ſummo quibus.

busdam fuisse nocumento. 6. Quod Medici omnes in inveterato scorbuto dissvadeant venæ sectionem: tum demum verò Medici advocari primum soleant: nihilominus tamen in dictis casibus non video, cur non vena possit probè secari, sicuti aliàs in cæteris Cacochymiis: quò parte quadam vitiosi sangvinis demta levetur corpus, ut reliquum possit facilius edomare, ac evincere: præsertim id monstrante natura, non solum in hæmorrhoidibus, mensibus: sed & per alias venas sangvinem quandoque in scorbuto effundente, ut per nares pedes &c. Non rarò etiam multum levaminis ex phlebotomia persentiscunt scorbutici.

68. Secetur vena autem in cubito, seu Mediana, seu Basilica: sive in sinistra, sive dextra parte id fiat, parum interest: nisi quis rigorosè in verba Magistri jurans τὸ κατ' ἴξιν velit observare pro affectione viscerum: Rectè tamen *Conring. tract. de gener. sangvin. pag. 360.* dicit, seculi nostri observationibus non convenire, humores in motu suo rectitudinem observare, sive secundum longitudinem, sive latitudinem: sed asseri ex hypothesibus falsis veteribus receptis de vasorum positu & ductibus. Non minus juvare creditur sæpè salvatellæ sectio tam in manu, quam pede, hujus enim apertionem in scorbuto multum prodesse experientia sese didicisse, testatur *Forestus l. 20. obs. 11. Vide Conring. disp. de scorb. th. 55.* Verum mihi quidem arrisere semper, quæ contra usum ex sectione salvatellæ egregiè disputat *Sennertus l. 2. de febr. cap. 20. pag. 303.* maximo etiam cum ægroti commodo scinditur vena malleoli tam externi, quam interni: Vena poplitis quamvis ob substratum nervum citra periculum non secetur, ut *Julius Cæsar Claudinus de ingress. ad infirm. l. 2. cap. 4. pag. 121.* profert: eam tamen commendant quidam in crurum ulceribus scorbuticis: Et fortasse plus prodest cruralium venarum sectio, quam brachii: cum humores hi sponte ob crassitiem deorsum ruant: venæ denique lingvæ, raninæ dictæ, in gingivarum exulcerationibus, scorbuto familiaribus, jure finduntur.

69. Largiorem tamen sangvinis missionem morbus hic respuit, præstatq; repetita sectio, & in variis locis tentata: idque ter ad minimum, sed iteratis aliquot diebus, *Joel tom. 2. pr. pag. 231.* propterea quod scorbutus dominium præcipuè in regionibus frigidis exerceat, ubi venti humidi, & frigidi perpetuò ferè nubila inducunt crassa; atque simul frequens crudarum, sublimiumque aquarum est usus: quæ corpora nostra plus satis refrigerant, ut propterea largiorem sangvinis missionem non ferant: Cum verò scorbutus & alias regiones non adeò frigidas invadat, Medicus, ut rectè Hippocrates monet, cujusque loci, ad quem accedit, victum, aërem, & aquas considerabit, & his curationem atque adeò venæsectionem attemperabit *Eugalenus p. 151.*

70. Convenit verò maximè in initio, ante purgationem: quod si morbus jam totam massam sangvineam corruperit, maculisque jam passim sum̃a corporis, præsertim tibiarum obsita sint: venæsectio parum juvat, sed tum potius vel ad pharmaceutica progrediendum: vel ad ipsius vicarias *Cucurbitulas* natibus cruribus, ac suris affixas, confugiendum: eò quod & ipsæ sangvinem ex locis distantioribus affatim proliciant. *Matth. Martini thes. 148. Conring. disp. de scorb. th. 57.*

71. Possunt etiam Hirudines vel Hæmorrhoidibus, vel etiam interdum aliis locis, venis quoque majoribus applicari: Sic Scarificatio crurum sine cucurbitulis convenit interdum in scorbuto: quando nimirum vel hydrops, vel tumores, vel ulcera antiqua, ut & gangræna, vel bubones eidẽ coñexa sunt. In his enim affectibus optimè convenire scribit *Claudinus de ingress. ad infirm. c. 6. p. 140.* Sic *Ronseus de scorb. c. 9.* valdè probat sangvinis effusionem in ulceribus diuturnis, & malignis, ex *Hippocrate lib. de ulceribus*, & *Aëtio tetr. 4. serm. 2. c. 40. Sennertus* etiam *4. de febr. cap. 6.* valdè probat eam in bubonibus, & carbunculis pestilentialibus. Ratione gingivarum conveniunt quidem scarificationes in scapulis: ratione pedum, in cruribus.

72.

72. CAUTERIA denique & FONTANELLÆ, *si in principio* morbi adhibeantur, non videntur incommoda: Cum excrementicios, & præcipuè serosos humores è corpore tollant, ac apparatum ad scorbutum suscipiendum demant: autoresq; svadeant, etiam tempore pestis ea applicanda esse. *Sennertus lib. de febr.* 4. *cap.*5. *pag.*430. *Bartholinus de cauteriis cap.*6. *pag.*34.

73. Chirurgica hæc cum non semper adhibere tutum sit, melius ad PHARMACEUTICA descendere: Ubi præmisso leniente quodam, methodus requirit, ut statim sal illud corruptum exturbemus, simulque malignam dispositionem visceribus impressam emendemus antiscorbuticis: quod si vero simul hypochondriorum obstructiones à fixo illo sale, ibi hærente & impacto, vel aliis humoribus sali mistis adsint, autores jubent, quæ fœculentum illud colliquent, attenuent, & incidant, usurpare, ut sunt Radices aperientes, Scorzoner, garyophyllat, helenium, cichoracea, & alia, quæ recensent *Sennertus l. c. cap.*7. *Salomon Albertus th.* 255. *M. Martini th.*122. & alii, *Eugalenus pag.* 19. imprimis laudat speciespliris archontici: Hartmannus *prax. Chimiatr. pag.* 214. Aquam philosophicam dictam, seu Tincturam ♀r. a. gr. j. ad ij. ad summum: Sic Sennertus *lib. de scorb. cap.*7. *pag.* 155. & alii extollunt usum universalium illorum digestivorum, Cremoris ♀ri, ♀ri ⊕lati; qui tamen *lib.*3. *prax. part.*3. *cap.* 3. humoribus salsis, acerbis, atque acribus, qui quasi ignis seminaria in se continent, acria hujusmodi medicamenta ex tartaro non convenire scribit: cum eorum acrimoniam non retundant. *Mynsicht. pag.*25. laudat nitrum ⊕latum.

74. Aperientibus tamen solis non fidendum sed semper scorbutica addenda: aliàs enim parum proderunt. Si obstructionum nullæ adsint signa, quin potius sal scorbuticũ toti massæ sangvineæ permistum, relictis illis preparantib. negotium totum solis specificis committendum. Per appropriata verò ea intelligimus, quæ vi peculiari qualitatem salis in corpore corrupti corrigunt, id ipsum per convenientes vias, puta per vesicam, & meatus seu poros corporis, sive

per sudorem, sive insensibilem transpirationem id fiat, deturbant: simulque dispositionem malignam corpori impressam emendant.

75. Qualia sunt: SIMPLICIA quidem: *Cochlearia*: sive cruda comedatur, sive cum saccharo in conservam redigatur: sive succus ejus exhibeatur; vel etiam aqua; & qui longè efficacior, spiritus (quem extollit *Sennertus l. 5 prax. part. 3. sect. 2. cap. 9. pag. 343*) inde destilletur. *Nasturcium ejusq; species omnes, & imprimis aquaticum*, quod & ab aliis Sisymbrium Cardamines vocatur. *Beccabunga*, seu Anagallis aquatica: quæ humida est, & minus calida, ideoque rectè additur superioribus ad infringendam eorum vibrantiorem facultatem igneam: præsertim si febris, vel calor p. n. scorbuto conjungatur. *Raphanus rusticanus: Chelidonium minus:* quod cum non in omnibus locis acrimonia præditum reperiatur, in iis tantum contra hunc morbum valet, ubi acre est. *Sedi minoris aqua stillaticia*, seu succus. *Nummularia*: *Sinapi*: quo nautæ sese muniunt. *Forestus l. 20. obs. 11. Eruca & ejus semen* contusum, in nodulo ligatum, & vino maceratum: *Trifolium aquaticum: Arum. Lepidium: Cortices radicis juglandis cum nasturcio coctæ.* Ronsæus & nauticæ Batavorum Ephemerides narrant, multos solo *malorum citriorum, & aureorum* usu à vehementissimis scorbuticis affectibus liberatos. *Fructus chamæmori Norwegicæ* de quibus Carolus Clusius *in historia plantarum rarior. l. 1. c.* 85. *Sennertus l. c. cap. 7.* ex relatione D. Dieterici septentrionales quosdam *sangvine Rangiferorum* (genus quod est cervorum, descriptum ab Apollino Menabeno) calido cum commodo uti dicit. Sic *terra rubra quædam* prope Bergas, Norwegiæ emporium reperta commendatur.

76. COMPOSITORUM pleni sunt omnes, qui de scorbuto exstant, libri: præ cæteris in usu sunt DECOCTUM absinthii vulgaris *Sennertus l. c. cap. 7.* WIERI ex absinthio, & granis juniperi *Id. ibid.* EJUSDEM quo Frisios uti docet, ex vino, radice raphani agrestis, & stercore taurino, ac caprino, *Wierus de scorbuto.* Decoctum simplex antiscorbuticum Joëlis *tom.*

1. *prax. l. 2. sect. 5. pag. 234. Hartmannus prax. Chimiatric. pag. 214.* laudat decoctum radicis Chinæ pro potu ordinario, & pro vehiculo, quo alia ſpecifica exhibeantur: item decoctum ligni ſancti cum cochlearia. SYRUPUS ſcelotyrbicus Foreſti, Cochleariæ compoſitus *D. Caſparis Packischii Sennertus l. c. cap. 7.* Compoſitus *M. Martini th. 175. Wieri* pro infantibus. *Id de ſcorbuto*, Syrupus ⊖latus Roſatus *Mynſichts pag. 255.* Syrupus antiſcorbuticus ejusdem *pag. 261.* AQUA ſcorbutica Quercetan. *pharmacop. cap. 7.* Dorncreilii, Sennerti deſcriptæ *l. c. c. 7. pag. 174.* M. Martini *th. 178.* Horſtii *obſerv. tom. 1. l. 4. obs. 26. & 35.* Mynſichts *pag. 317.* Ex Succis compoſita ſunt ſpecificum *Quercetani in Diætetico: M. Martini ibid.* VINUM antiſcorbuticum *Mynſichts pag. 363.* PULVIS quem *Sennertus l. c. cap. 7.* laudat ex Cinamomo, nuce moſchata, ſem. naſturcii, & croco. Pulvis *D. Birckmanni ex Quercetano l. 1.* pharmac. *cap. 20.* Cõpoſitus *M. Martini th. 181.* Pulveres duo *Brucei diſp. de ſcorb. th. 27. & 28.* Antiſcorbuticus probatiſſimus *Joëlis tom. 1. prax. l. 2. ſect. 5. pag. 234.* ESSENTIAS abſinthii, cochleariæ fumariæ, aut Chamædryos ad gr. xv. plus minus, maximè commendat *Ronſeus de ſcorb. c. 8.* quarum etiam conficiendarum rationem tradit *ibidem*, ut & *Sennertus l. c. cap. 7.* Rectè tamen monet hic *Sennertus lib. de conſens. cap. 19. pag. 401.* Ex antiſcorbuticis non probè parari Extracta. Cum enim omnis eorũ vis in ſale volatili cõſiſtat: in extractione ſal ille volatilis cũ ſpiritu vini, vel alio liquore ſeſe unit, & cum eo ſeparatur, relinquiturque corpus poſtea parùm efficax: itaque rectiſſimè ſuccus eorũ, conſerva, vel infuſa exhibentur. EXTRACTA compoſita *M. Mart. th. 180. 195.* Extractum Iuniperinum *Eugaleni Id ibid.* Tinctura *Johannis VVerneri Id th. 196. Hartmannus prax. Chimiatric. pag. 214.* ſpecifica nominat Elixir proprietatis Paracelſi; Tincturã Lun. tinctur. coralliorum veram; quam etiam extollit in ſcorbuto Agricola *tom. 2. commentar. in Poppium pag. 856.* ubi gloriatur, ſe ea ſola cum tinctura ♀ri miſta, in aq. cochlear. per 8. dies ſingulis diebus bis exhibita deſperatam curaſſe ſcorbuticam. Tincturam Martis in ſcorbuto proficuam

eſſe

esse dicit *Mynsicht.pag.*43. ELECTUARIUM *M. Martini th.*179. MISTURÆ ejusdem *th. 197. 198.* PILLULÆ D. Pavii, descriptæ, à Neandro *tabacolog.pag.*12. Et alia, quæ omnia hic ponere institutum non patitur.

77. Macerent autem sese hoc loco, quamdiu velint, qui omnem antiscorbuticorum vim à manifestis deducunt qualitatibus, & acria quidem ad scorbutici seri, utpote tenuioris expulsionem commodissima esse arbitrantur, quod caliditatem insignem cum tenuitate partiū conjunctam habeant, atque ita humorem attenuent, discutiantque: quod si humori huic crassiora sint admista, non dissolvi ista acribus posse, sed amaris. Hinc magno esse in scorbuto usui, quæ cum acrimonia amaritiem habeant, aut acorem: ita enim & quæ crassiora sint, posse simul expelli, inque halitum digeri: qualia sunt absinthium, Cochlearia & alia. Acida vero convenire eò quod incidant etiam: nec enim omni ex parte frigida esse, sed tantùm respectu caloris nostri; tum quoque actu licet frigida sint, potentia tamen calere summè: & expedire quidem scorbuticis, non tamen æquè ut acria & amara. Rationes, quas adducunt, cur non tota substantia agant, sunt 1. Quod totis formis differant Antiscorbutica: 2. omnes fere plantæ acres ad hujus mali profligationem faciant. 3. Licet non omnia attenuantia scorbuto adversari videantur, non tamen hoc esse indicium virtutis occultæ; cum ipsa humorum receptacula per multum sint varia, sive locum, sive temperaturam videas: ideoque nec unam posse esse rationem aperientium. Sanè præclare hæc omnia dicuntur, rem tamen totam non absolvunt: cum multa dentur acria, ut salium species, interdum sat volatiles, & tenuiū partium, quæ scorbutum tamen non tollunt. Itaque aliud quid esse convincitur, quo sal illud in antiscorbuticis differat à sale scorbutico: id cum hactenus evidenter exprimi non potuerit, merito ad occultum confugimus; facile etiam ad argumenta eorum responderetur forsan: ad 1. Licet enim forma externa differant: possunt tamen convenire in qualitate illa antiscorbutica. 2. Quod omnes ferè plantæ acres ad

ma-

mali hujus profligationem conducant, id per accidens contingere potest: dum nim. humorem illum, in quo μίασμα scorbuticum hæret, attenuant, dissipantque, atq; ita scorbutum nondum altius visceribus impressum auferunt: præ cæteris tamen antiscorbutica valent: sicut in lue venerea, & peste multa quandoq; prosunt, & malum inveteratum subigũt; quæ tamen huic morbo directè non adversantur. 3. Verum quidem est, hoc vel illud medicamentum modò huic, modò alteri parti prodesse: Videmus tamẽ, quæ ab omnibus veteribus appropriata alicui visceri creduntur, si, viscere quodam scorbuto infestato, usurpentur, parum prodesse: contra verò antiscorbutica dispositionem illam scorbuticã, in quocunq; etiam viscere detineatur, exstirpare: sicut in lue venereâ, & peste accidit. Licet igitur acrimonia, tenuitas partium ignea multum præstet in hoc, tamen non deroganda est antiscorbuticis peculiaris sua vis his omnibus juncta: Dantur enim quædam non omninò acida, aut acria, scorbutum nihilominus profligantia, ut terra illa rubra propè Bergas: Fructus chamæmori Norwegicæ: Et quare lac & poma aurantia scorbuti hostes, quæ tamen insigni calore destituta?

78. Rectius ii faciunt, qui vim antiscorbuticorum in sale volatili, quo abundant, ponunt: Etsi enim supra dictum, à salitis scorbutum induci: longè tamẽ alia salis fixi est operatio (qualis est in carnibus, & piscibus fumo induratis) quam volatilis, qualis est in cochlearia & aliis, ut *Sennertus* habet *lib. de consensu cap. 11. pag. 214.* Imò etsi concedatur, sal scorbuticum esse etiam volatile quandoq;, Unum tamen sal alteri esse adversum, & ejus acrimoniam tollere, multa alia docent: sic vis rodendi, & aciditas in spiritu ⊖li aufertur per oleum ♀ri per deliquium factum, seu sal ♀ri. Idem fit sale absinthii, vel alio è plantis parato misto. Ita vim corrosivam ☿ii tollit idem oleum ♀ri, & sal absinthii: quod planum fit in præparatione bezoartici mineralis: butyrũ ♁ii magnã acrimoniam habet: eandem etiam possidet spiritus nitri: mista tamen invicem omnem deponunt acrimoniam. *Sennertus l. c. pag. 266.* Quemadmodum igitur non potest explanari, qua ra-

 tio-

tione hæc ſibi adverſentur: eodem modo & de antiſcorbu-ticis verum eſt, peculiari quadam & occulta vi ſcorbutici humoris acrimoniam infringere.

79. Vitioſa hâc ſcorbutici humoris qualitate, & acrimoniâ maximam partem per antiſcorbutica ſublatâ: cùm nihilominus ille ipſe corpori alendo aptus non ſit, expellendus eſt: quod variis modis fieri poteſt: An PURGATIONE PER ALVUM exturbari debeat; dubium eſt apud Autores: Et quidem ſi in principio omiſſis antiſcorbuticis, inſtituatur catharſis, noxia eſt, plurimaq; mala excitans: imprimis anxietates circa præcordia auget: multi quoque aſſiduis purgationibus uſi in ſcorbuto vel ad perfectam devoluti ſunt membrorum impotentiam: vel in hydropicum tumorem lapſi, *ut M. Martini th.121. & 154.155.* habet ex *Eugaleno*. Purgantium enim præſertim validiorum uſu humor ſcorbuticus conturbatur; laceſſitus fermentatur, & incandeſcit, flatusque procreat, qui præcordia diſtendunt: imò cum morbus hic ſit ex diſpoſitione occultâ, meliùs videtur auferri ſolis discutientibus, & ſudoriferis, quam purgantibus: ſicut idem fit in peſte, & aliis morbis occultis: plurimique citra purgantium uſum convaluere, antiſcorbuticis uſi cum incidentibus & attenuantibus miſtis: *M. Martini th.163.* Huc collimâſſe videtur *Rhaſes*, qui in locis maritimis Medicininam fecit, dum dicit, frequentes ſuper urinis rubris purgationes lethales eſſe: tales enim in ſcorbuto ſæpè apparent. *Eugalenus obſ. 9.* illud tamen falſum eſt, quod quidam proferunt, non prius uſurpanda eſſe purgãtia, quam Medicus animadverterit, humores craſſos ſimul admiſtos eſſe ſcorbutico: aliàs ſi hic ipſe ſaltem ſit tenuis, purgantium ductum non promtè ſequi: ſed motum in alias partes potius irruere: Si enim quis attendat, quales plerunq; à purgantibus auferantur humores, inveniet eos ſeroſos & tenues: ita ut Medici quidam planè ſibi perſvadeant: purgantia colliquare, & in ſerum convertere humores: tantum igitur abeſt, quò eludant ductum purgantium tenues humores, ut humores craſſi raro niſi ſero conjuncti ſequantur. Quamvis ergo interdum purgantium uſu ſuperſedere poſſimus, neces-

cessaria tamen interdum sunt, & nil absque iis dignum præstamus in debellando humore scorbutico: natura ipsa etiam quandoque in infimum ventrem expurgamenta totius corporis deponit, & sponté sua magis ad alvum fertur humor scorbuticus, quam ad vesicam: nonnunquam separat humorem hunc, & aquosiora quidem aliò feruntur, crassiora remanent in primis viis, quæ tum commodissimè per cathartica ejiciuntur. Illa tamen non sint valida: *Hartmannus pract. Chymiatr. pag. 214.* maximè laudat Antimoniata: Mercurium condemnat. 1. quod ad superiora ascendat, adeoq; fluxiones augeat, unde symptomata invalescant. 2. non expediat hîc obstructiones, quemadmodum in lue venerea. *Conringius* tamen *disp. de scorb. th. 61. & 62.* cùm omnia validè purgantia: tum quoq; antimoniata rejicit Mynsicht *pag. 112.* laudat species diatartari. Claretum absinthiacum: *pag. 354.* Claretũ rhabarbaratum *p. 355.* Decoctum spleneticum *pag. 387.* Decoctum violatum purgans. 401 Alia vide alibi apud autores.

80. Cum verò non raro primæ viæ, imprimis ventriculus purgentur per vomitum, si materia eò inclinet, nec adeò tenax sit, non adeò incommodum erit, si natura VOMITORIO exhibito adjuvetur. *Ronseus de scorb. cap. 8.* in quem finem exhibet Mynsicht *pag. 13.* Crocum metallorum absinthiacum: aliàs vomitoria nocent in scorbuto: quod humor iste comotus ab iisdem, & effervescens angustias præcordiorũ excitet, idemq; malum eveniat, quod Eugalenus usum purgantium sequi dicit. *vid. Conring. disp. de scorb. th 58.*

81. Plus proficitur DIURETICIS. Sal enim cum sero plerunq; conjunctum: serum verò promtè ad renes vergit: unde videmus quantum excrementorum urinæ scorbuticorum sæpè vehant: imò hoc unicum signum est, antiscorbutica munere suo probè fungi, quãdo urina antea clara, turbida ab eorum usu redditur: ex quibus patet, antiscorbutica simul vim diureticam obtinere: quibus etiam alia vi renes purgandi prædita admisceri possunt: Commendat hic Agricola *cõmentar. in Poppium tom. 1. tract. de* ♁ *lo pag. 361.* aquam suam compositam diureticam, reliqua vide apud Sennertũ *l. c. cap. 7.* Sal. Albertũ *th. 227. ad 228.* M. Martini *th 170.*

82. Referri huc possunt ACIDULÆ, præsertim ferratæ; nam & hæ sal scorbuticū evacuant & abluunt per vesicam, atque omnes excretionum vias, imò ipsa viscera, totumq; corpus astrictiorâ amicâ facultate corroborant. Modum has ipsas in hoc morbo usurpandi describit Horstius *obs. tom.*1. *lib.*4. *obs.*35. Si harum potestas non datur: Chalybs præparatus, & crocus Martis aperiens: aqua item, in qua ferrum candens sæpius exstinctum sit, earum vicem supplent *Sennert. l. c. cap.*7. Ob ferri naturam calidam, & siccam, quâ scorbuticum hoc serum imbibit, ac è corpore exiens secum unà educit.

83. Inter omnia verò, quæ materiam scorbuticam expellunt, facilè familiam ducunt SUDORIFERA, & DIAPHORETICA: qualia fermè sunt illa antiscorbutica; unde sæpè iisdē solis malignitas hæc expulsa: Ubi igitur vires constant, plurimum conducit ægrotantem in balneum sudoriferum deducere: exhibito antea hydrotico cum antiscorbuticis misto: & post mediocrem desudationem herbis emollientibus, & scorbuto adversis totum corpus fricare, & abluere: Si quid balnea prohibeat, æger in lecto sudet, adsumto hydrotico: Laudat hic tanquam insigne diaphoreticum Bezoarticum suū Ioviale Mynsicht *pag.*12. *Et pag.*229 Theriacam Saxonicam, *pag.*338. liquorem diaphoreticum.

84. Antiscorbutica igitur ejus sunt efficaciæ, ut non solum salis scorbutici malignitatem infringant: simulq; serum salis hujus vehiculum una cum sale ipso discutiant; sed & si quod vitium visceribus impressum est, emendent. Hinc luis ipsius pravitate sublata rarò vestigia relinquntur pristinę malitiæ: cum tamen passim obvium sit, humorem hunc malignum, diuturniore mora, ac obsidione pleraque viscera concoctionis mirum in modum labefactare: & quidem ventriculum: ut chylum corrumpat modò in aqueum, modò in pituitosum, acidum, acerbum, ponticum nidorosum & acrem succum: Epar, quò non rectè separet bilem à sangvine: Cor postmodum, ut sangvificationi non indulgeat, & sangvinem vitiosum generet: idcircò videndum, quæ pars potissimum affecta sit, cui postmodùm pro ratione recessus à naturali sta-

tu

tu succurrendum tam externis, quam internis: quibus si aliquid de Antiscorbuticis addideris, non peccabis. Videatur hac de re Sennertus *l.c.cap.*8. Salom. Albertus *th.*294. *& seqq.* M. Martini *th.201. & seqq.*

85. SYMPTOMATA scorbuto conjuncta quod attinet, illa quidem dum legitima curatio principalis morbi instituitur, facilè plerunque evanescere consvevere: interdum tamē rationem ἐπιγιγνομένου sustinent, novorumque morborum caussæ exsistunt, ac propterea curationem ad se trahunt: & tunc talia remedia adhibenda, quæ morbos istos tollunt, quibus tamen semper antiscorbutica admiscenda, & quidem cum ratione, ut nunc horum nunc illorum plus sumamus, prout magis vel scorbutus, vel morbi scorbuto connexi prævalent: curationem eorundem ex scriptoribus petere licet.

86. Nos potius ea, quæ ex FONTE DIÆTETICO hauriri queunt, brevissimè adducemus. Cum enim medicaminum, morbum non curantium usu, & exhibitione vires frangantur valdè, & debilitentur: Scorbutus verò, sæpè ut dictum, adeò lateat, ut & oculatissimum quenq; subterfugiat Medicum: optimꝰ, tutissimusq; judicatur modus curationis, victus ratio in morbis his ignotis *Eugalen.p.60.* imò supervacaneum est, medicamenta iis præscribere, qui rectam victus rationem tenere nequeunt, teste *Galeno:* Consistit autem hæc in sex rerum non naturalium commoda administratione.

87. AER ergo sit calidus, moderatè siccus, tenuis, purus, patens, & liber: quo si frui non conceditur, paretur arte; contrariis qualitatibus inquinatus, imprimis multis salinis vaporibus replètus, qualis est locorum maritimorum, vitetur: CIBI vitentur, quos supra caussam scorbuti fieri posse diximus, & eligantur in substantiæ, qualitatum ac copiæ modo mediocres: imprimis verò contrarii caussæ morbum committenti: juscula nim. carnis bubulæ, & gallinarum, animalium carnes, & pisces facilis concoctionis: cum quibus etiam conjungi potest δριμοφαγία, esus acrium ciborum, ut porri, nasturcii, erucæ, sinapi, raphani agrestis, & aliorum: vel ut condimenta vel ut embammata usurpatorum: Uvæ passæ

conveniunt itidem: Poma aurantia: acetum & acida, præter quā illa quæ ſupra peculiari ratione ſcorbuto adverſari diximus, fugiēda; niſi interdū condire cibos libeat: Cauſſa: Scorbuticū n. ſal ab aceto admiſto ebullit, atq; ut Hippocrates loquitur, μετεωρίζεται, ϗ ζυμοῦται. Dulcium & ſacchari uſus ſit parcior: Columbas Langius *ep.14. lib.2.* ita cōmendat, ut ſcorbuticos malè incedentes ad columbaria ablegent. Potus ſit vinum bonum, & ſaſſafratum, vel cochlearia conditum: Cereviſia tenuior, benè defœcata, & lupulo ſatis condita: abſinthio, chamædrye, vel aliis antiſcorbuticis medicata: Lac itē caprinum, vel in ejus defectu, vaccinū recens, in quo decocta fuerint antiſcorbutica: huic enim præ cæteris eximia adverſus ſcorbutum, & prærogativa quædam dos eſt, ita ut quocunq; morbi tempore exhiberi poſſit, eò quod alvū moderatè ſubducat, neq; inflet hypochondria, neq; trāſitus per arctiſſimos vaſculorū fines intercludat, humorumq; ſcorbuticorū acrimoniam obtundat. *Sal. Albert. diſp.2. de ſcorb. th.40.* imò tantus lactis uſus eſt in ſcorbuto, ut Eugalenus *pag.62.* quosdam recenſeat, qui ab eodem melius ſeſe habuerint in febribus (cū tamen aliàs in his ipſis rejiciatur ab omnibus Medicis) quam qui ex Medicorum præſcripto vixerant. Huic affine eſt ſerum lactis caprilli: agreſtes enim *Batavi ac Friſii* à patrio ſcorbuto, quotidiano ſeri vaccini potu, ſeſe muniunt & liberant. Ratio eſt, quia ſerum humiditate ſua ſolvit ea, quæ ſalſa ſunt: nitroſa verò, qua præditum eſt facultate, abſtergit cuncta parietibus venarum adhærentia. *vid. Conring diſp. de ſcorb. th.60.*

88. Corpus etiam moderatè exerceatur: quies enim, & otium morbū hunc potius cauſſant. Habenda tamen ratio febriū in exercitiis: ne forſan augeantur nimiū, ſi uſu lōgius proceſſerint illa. Somnus & vigiliæ ſint moderatæ: ſomno meridiano ei, qui aſuetus eſt, non adeò rigidè interdicendum eſt. Evacuationes conſvetæ non ſupprimantur: Ex animi affectibus præter gaudium, nulli convenire videntur. Triſtitia, & mœror abſint: reliqui haud ſint turbidi, & concitati, quippe ſangvificationem, ut ſupra dictum, lædentes. Hæc ſufficiant de ſcorbuto.

Tu

TU verò cui vile dedit cognomen avenæ
Stramen, at Hippocrates nobile fecit idem,
Ausus de morbo proponere lemmata docta,
Illaq; suppositis multiplicare typis.
De morbo, cujus neq; vim neq; nomen avitum
Vel Latium novit, Græcus, Arabsvé tenet.
Scorbutum dicis, dirum mortalibus omen:
Nomina si rebus convenienter eunt.
Scilicet extrema mundus qui fece laborat,
Virtutis profert semina nulla novæ.
Sed vitij segetem, & sceleris protrudit abundè:
Hincq; sibi morbos & creat omne malum.
Hinc quoq; Scorbutum nasci reor ipsemet atrum,
Vindicias Nemesi distribuente suas.
Tu medicas adhibeto manus, bona pharmaca membris
Apponens, animas sanet at ipse DEUS.

Clarissimo Viro rerumque medicarum peritissimo, & Doctorando dignissimo, suo Convictori, amoris & honoris ergò deproperabat

Johan. Major D.

AMBIT HONOS VIRTUTEM. *Huic tempora civica quercus*
cingit, & obsessis graminis herba locis:
Huic murale decus, valliq; insigne reclusi,
rostraq; devictis aurea navigiis.
Quæ vero HABERSTROHE, tuum, celeberrime mysta,
artis Apollineæ, digna corona caput
ambiet? à teneris Musarum castra sequutus,
haud unâ clarus gymnade victor ovas.
Docta TIBI MENS *est; comes est* PRUDENTIA: VIRTUS
intemerata tuis emicat ex oculis.
TE CHARIS *ingenuis decoravit moribus: altâ*
indole & eloquio floridiore nites.
TE COMES *Illustris veneratur: consiliorum*
esse bonum eventum prospera fata jubent.

Pu-

Publica nunc etiam conſcendis pulpita fauſtis
auſpiciis, morbo deq́ gravi loqueris,
in lucemq́ ediſſeris, arroſos ſapere ungves
quæ poſſunt dici. PRÆMIA *non deerunt.*
SURGIT HONOS: VIRTUTEM AMBIT: *tua tempora* LAURUS
cinget, quam facili porgit Apollo manu.
HIC TIBI *creſcat* HONOS: *viridans hæc* LAUREA *creſcat,*
immarcescibili floreat usq́ Comâ.

JACOBE HABERSTROH

Perilluſtris Comitis in Stolberg & Wernigeroda, ut & hujus urbis Medice, Phyſice ordinarie, accipias ab hac benevolâ manu teſſeram favoris, quo te à primis ſtudiorum tuorum primordiis proſequor. SOLUS in familiâ arti noſtræ TE conſecrâſti, eôq; nomine majori honore dignus. Aſpiret conatibus tuis Hygiæa, ut ANTONI VARI, AVI, Medici per quinquaginta annos in hâc Univerſitate Anteceſſoris nobiliſſimi, famigeratiſſimi, in obſcuris indagandis acumen: parentisq;, Practici ἔνδοξον ἀγίος celebratiſſimi, Comitis Perſonæ Medici nobiliſſi, in medendo felicitatem & celebritatem aſſequaris.

GUERNERUS ROLFINCK, Hamburg. Phil. Med. D,
Pract. & Chim. Prof. Facult. Senior.

Errata benevolus Lector ſic corriget.

Pag. lin. 27. pro ſit, lege, eſſet. p. 3. l. 14. Ileos, Ilei. lin. 18. deleatur: voce. pag, 4. lin. 24. lege, apparent. pag. 6. l, 33. dele, etiam. p. 7. l. 31. ſic lege: neq; urina. Nec ſemper puto ſal hoc. p. 8. l. 8 quartanas. p. 12. l. 12. adde: non ita. l. 15. pro ſeſe: lege, ſero. ſ. 18 lege, ex ſangvinis, &. p. 13. l. 25. pro Etenim l. Verum. p 15. l. 14. l. imitaretur: haberetur: p. 16. l. 17. Suſis. p 17 l. 21. diffluere p. 19. l. 30. pro &, l. nec. l. 31 præparentur: ib. poſſint. p. 20 l 30. incoctile. p. 23. lin. 1. laborârit. lin. 11. lege, ubi hominem lento. p. 24 l 1. dele: â ſe. lin. 6. & ad nullum veterum morbum. p. 27. l. 6. ebullitione. lin. 17. lege th. 14. p. 35 l. 29. pro valde, lege vehementer. p. 37. l. 2. exprimant. l. 16 priores: pejores l. 34. fœtior, fœtor p. 41. l. 7 uclera: ulcera. p. 48. l. 7. crurium: crurum. p. 51. l. 26. enim, etiam. l. 29. præcipitatur. p. 52. l. 34. funguntur: defunguntur. p. 54. l. 34. adimit: interimit, p. 59, l. 17. delenii. p. 6. l. 23. Apollonio.

F I N I S.